

DANIELIS BERCKRINGERI

INSTITUTIONUM ET EXERCITATIONUM ETHICARUM

Academico-Peripatetico-Stoico-Scholasticarum

LIBERI SECUNDI,


Qui est

Περὶ τῆς Ἀρετολογίας,

DE

VITÆ RECTÆ REGIMINE,

Sectio Prima.





AMSTELODAMI,
Apud *Johannem Janssonium* à *Waesberge*, &
Viduam Elizei Weyerstraet,
ANNO 1668.



CONSPECTUS CAPITUM
LIBRI SECUNDI,

Qui est

Περὶ τῆς Ἀρετολογίας,

DE

Vitæ Rectæ Regimine,

Sectionis Primæ.

Caput.

I. *Quid ἡ Ἀρετολογία, eique substrata Ἀρετή, quâ nomen, quâ rem nomine velitam? Cum connotatione insinuativa subjecti ejus formalis operationis anticipativè, vitiique oppositi condefinitione, virtuti ἀνταλλήλως.*

II. Τῆς Ἀρετῆς *Divisio, secundum animæ potentias virtutis susceptivas, in Intellectualem sive Mentis, & Moralem sive Appetitus.*

III. *Quid Virtus Intellectualis sive Mentis, quâ Nominalitatem, quâ Realitatem? Quod ejus Genus, Subjectum, Objectum, quæque Affectio?*

IV. *Virtutis Intellectualis Subdivisio in Theoreticam & Practicam, sumpta ex Subjecto, Objecto, Modo, & Fine, cum ordinis tumultuaria designatione.*

V. *De Intelligentiâ, & ejus Extremis, hoc est, inde Scrupulositate, hinc Errore sive Ignorantia Principiorum.*

VI. *De Scientiâ, & ejus Extremis, hoc est, inde Nimiâ Subtilitate, hinc Errore sive Ignorantiâ Conclusionum.*

VII. *De Sapientia, & ejus Extremis, hoc est, inde Nimiâ Sapientia Persuasione, sive τῷ Nimium Sapere, hinc Ruditate, sive τῷ Minimùm Sapere.*

VIII. *De*

Conſpectus Capitum.

VIII. *De Arte, & ejus Extremis, hoc eſt, inde* Κακοτεχνίᾳ ἢ Ματαιοτεχνίᾳ, *hinc* Ἀτεχνίᾳ.

IX. *De Prudentia, & ejus Extremis, hoc eſt, inde Verſutiâ, hinc Imprudentiâ ſeu Stoliditate.*

X. *An & quatenus ad Ethicam pertineat, tractare de Virtutibus Intellectualibus? Et cur proxime Prudentiam agatur de Virtutibus Moralibus?*

XI. *Sectio, ut Virtutis, ita Vitii Moralis, in tria Segmenta ſive Gradus, Incipientium,* Proficientium *& Perfectorum, quorum Graduum ille Semivirtus vel Semivitium, iſte Virtus, vel Vitium, hic Virtus Heroica, vel Vitium Heroicum, audit in Auditorio Morali.*

XII. *Quid Semivirtus, oppoſitumque Semivitium? Quotuplex Ariſtoteli, & ſequacibus?*

XIII. *De Continentia, & ejus Extremis, hoc eſt, inde Incontinentia ſive Impotentia, hinc Stupore.*

XIV. *De Tolerantia, & ejus Extremis, hoc eſt, inde Intolerantia, hinc Mollitie.*

XVI. *Quid Virtus Moralis ſive Morum, quà Nominalitatem, quà Realitatem? Et quod ejus Genus? Facultaſne? Affectuſne? An Habitus? Iſque* Προαιρετικὸς *Electivus? Et quidem Bonus?*

XVII. *Quæ Virtutis Moralis Materia ex qua, ſive* Ὕλη *analogicè ſumta?*

XVIII. *Quæ Virtutis Moralis Materia in quâ, ſive ut Quod, quàm Partiale, ſive ut Quo, quorum illud Denominationis, hoc Inhæſionis, in Diatribis Philoſophicis.*

XIX. *An Subjectum Virtutis Moralis Partiale, ſive ut Quo, nominatim ſit Mens, cum Socraticis, Platonicis & Stoicis? An Voluntas cum Scotiſtis? An Appetitus Senſitivus cum Peripateticis? An denique,*

partim

partim Voluntas, partim Appetitus Senſitivus, cùm Thomiſtis & Caſiſtis, verùm ἄλλως καὶ ἄλλως; *alio atque alio ſenſu?*

XX. *Quæ Materia circa Quam Moralis Virtutis ſive Objectum? Et quotuplex? Quod Internum ſive Primarium? Annon Affectus? Actioneſque perſuade Interna? Voluptaſque & Dolor? Quod item Externum ſive Secundarium reſpectivè?*

XXI. *Quæ Virtutis Moralis Forma? Negatione, ſaltem Privatio Extremorum? Mediocritative juncta Medietas? Congruentiave cum Recta Ratione? Ac non potiùs Rectitudo Congruens?*

XXII. *Annon interim Mediocritati juncta Medietas ſit* **Forma** *Virtutis Moralis, minimùm Objectivè, Effectivè & Adjunctivè? Et ſi, quotuplex universè ſit Medium? Qualeque Medium Virtus Morum in genere, in ſpecie vero Juſtitia. Reinè, an Rationis ſeu Perſonæ?*

XXIII. *De Medii Oppoſitione Logico-Logiſtica cum Extremis, & Extremorum inter ſe.*

XXIV. *Atque adeo,* Ἀκρότηςné *Extremitas cum Pythagoricis, an* Μετριότης ἢ Μεσότης, *Mediocritas Medietaſve cum Ariſtotelicis, ſit Virtus Moralis?* Μετριοπάθειαné *item potiùs, ſive Temperamentum Affectuum, cum prænominatis Peripateticis, an* Ἀπάθεια, *ſive Vacuitas Affectuum, cum Stoicis?*

XXV. *De Indiviſibilitate & Diviſibilitate Virtutis Moralis, Affectuumque & Actionum, verùm Ethicâ, non Mathematica.*

XXVI. *Duo famoſa Paradoxa Stoicorum, de Rectè & Pravè Factorum Æquilibrio Morali, contra Peripateticorum Diſquilibrium, cum Conciliatione Partium Controvertentium.*

XXVII. *Quæ Virtutis Moralis Cauſa Efficiens? Natura-*

turane cum Stoicis ? Temperamentumne cum Galenicis ? Inſtitutione ſeu Doctrina cum Socraticis & Platonicis ? An verò Conſuetudo cum Peripateticis ? Et ſi, Poſitivene, an Præſuppoſivè, Categorematicè, an Syncategorematice, hoc eſt, Significative an Conſignificative ?

XXVIII. *Quæ ſit Actionum, quibus Virtus Moralis domi acquiritur, tanquam cauſis, ut Quantitas, ita Qualitas ? Et, an ſpecie, an verò Gradu, differant ab iis, quas illa acquiſita edit, tanquam effecta ? Quæque adeò ſit ſignatura habitus contracti ?*

XXIX. *De Fine Virtutis Moralis his cauſis deſcripta : Et, an ſimplex ea ſecundum Stoiciſmum, an verò Multiplex ſecundum Peripatiſmum ?*

XXX. *De Virtutum Moralium Connexione in Prudentia ſecundum Thomam, earundemque Inconnexione ſecundum Scotum, cum Syncriſi Philoſophica.*

XXXI. *Diviſio Virtutis & Vitii Moralis, Acroamatica ex Objecto Formali, Exoterica ex Objecto Materiali, illius in Pietatem & Probitatem, hujus in Impietatem & Improbitatem.*

CON-

CONSPECTUS CAPITUM
LIBRI SECUNDI,
Sectionis Secundæ.

Caput

XXXII. *De Pietate, & hujus Extremis, id est, inde Superstitione, hinc Impietate, complectente Imprecationem & Ingratitudinem erga Deum.*

XXXIII. *De Probitate, hujusque Speciebus, tam Usu Loquendi, quàm Usu Artis, qui melior in comparatione.*

XXXIV. *De Fortitudine, & hujus Extremis, id est, inde Audacia & Timiditate, hinc Ignavia & Intimiditate, dicam, an Intimiditate, dicam, an Indolentia.*

XXXV. *De Temperantia, & hujus Extremis, id est, inde Intemperantia, hinc Stupore in genere, in specie verò, de Frugalitate, & hujus Extremis, inde Edacitate & Bibacitate, hinc Nimia à Cibo & Potu Abstinentia, Castitateque, & hujus Extremis, id est, inde Libidine & Impudicitia, hinc Diogenica à Venere Venereisque Abstinentia.*

XXXVI. *De Liberalitate, & hujus Extremis, id est, inde Prodigalitate, hinc Avaritia.*

XXXVII. *De Magnificentia, & hujus Extremis, id est, inde Luxu, hinc Sordibus.*

XXXVIII. *De Magnanimitate, & hujus Extremis, id est, inde Fastu, hinc Pusillanimitate.*

XXXIX. *De Modestia, & hujus Extremis, id est, inde Ambitione, hinc Inambitione.*

XL. *De Mansuetudine, & hujus Extremis, id est, inde Iracundia & Crudelitate, hinc Lentitudine & Indulgentia.*

De

XLI. *De Veracitate, & hujus Extremis, id est, inde Arrogantia, hinc Dissimulatione, utrinque Mendacitate.*
XLII. *De Comitate, & hujus Extremis, id est, inde Blanditia, hinc Morositate.*
XLIII. *De Urbanitate, & hujus Extremis, id est, inde Scurrilitate, hinc Rusticitate.*

CONSPECTUS CAPITUM LIBRI SECUNDI,

Sectionis Tertiæ.

Caput.

XLIV. *De Justitia Universali, & hujus Extremis, id est, inde & hinc Injustitia Universali.*
XLV. *De Justitia Distributiva, & hujus Extremis, id est, inde & hinc Injustitia Distributiva, sive* Προσωποληψία, *Acceptione* Personarum, *modò in plus, modò in minus.*
XLVI. *De Justitia Commutativa, & hujus Extremis, id est, inde & hinc Injustitia Commutativa, modò in lucrum, modò in damnum.*
XLVII. *De Jure Talionis, quà Absolute, quà Analogice, id est, quà Æqualitatem, Absolutam, quà Analogicam.*
XLVIII. *De Virtute Heroica, & hujus Extremis, id est, inde Feritate Morali, hinc Ignavia Stupenda sive Immani.*
XLIX. *De Amicitiæ Origine, Principiis, Causis, quà Conservantibus, quà Corrumpentibus, Necessitate, Usu, in genere.*
XL. *De Amicitia in Specie, & hujus Extremis, id est, inde Nimia Familiaritate, hinc Solitudine.*

CAPUT XLIV.

De Justitiâ Universali, & hujus Extremo. id est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitiâ Universali.

ATque hactenus Philosophus, cujus serram ducimus, disseruit de Virtutibus Moralibus, quæ nos dirigunt in ordine ad nos ipsos, excipit Justitia, quæ nos dirigit in ordine ad alios, eâdemquè operâ consideravit, primò virtutes, quæ versantur circa affectus, secundò eas, quæ sunt quasi mediæ, versantes, partim circa affectus, partim circa actus: Deinceps eam declarat, quæ hæc omnia aliquo modo complectitur, primò occupata circa actus, ex consequenti verò circa affectus, contra quàm fit in reliquis virtutibus, quæ primò occupantur circa affectus, & operationes interiores, posteriùs verò circa effectus & operationes exteriores, accipientes Philosophicè omnem bonitatem moralem, quam habent, ab interioribus, ut quæ ideò bonæ sint & audiant, quia illæ, imitatione cultûs divini externi, accipientis Theologicè perfectionem suam ab in-

interno. Est & alia causa, cur Philosophus ultimo loco agat de Justitiá in catalogo virtutum moralium, non quasi ea sit ultima ordine dignitatis, cùm ut sic sit prima & princeps, tanti, quanti sol in cœlo, quo obscurato tenebræ in mundum inducuntur, unde eam hespero & lucifero luc:diorem facit Aristoteles, pariliter tenebræ in Rempublicam oppressâ justitiâ, tanti, quanti cor in corpore humano, quo mortuo vita hominis tollitur, pariliter vita humana sublatâ justitiâ, tanti, quanti in grege pastor, quo absente dispergitur grex, pariliter absente justitiâ dormienteve populus, tanti, quanti in exercitu imperator, quo remoto conturbatur exercitus, pariliter loco suo motâ justitiâ idem populus, tanti, quanti in nave gubernator, quo excusso navis in scopulos illiditur, pariliter Respublica, actâ in exilium justitiâ, vigente in cœlo pariter & elementis, in quadripartitâ temporum vicissitudine, in quatuor humoribus corporis humani, in alimenti hinc distributione, in animæ quin insuper facultatibus. in omni quin vitâ hominum, suum cuique tribuens, Deo cultum, regibus obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus humanitatem, oppressis auxilium, dubiis consilium, omnibus innocentiam,

non

non, inquam, quasi ea sit ultima ordine dignitatis, sed quòd ordine doctrinæ. Cùm enim sit aliquo modo tota virtus, quasiquè aggregatum quoddam ex omnibus virtutibus moralibus collectivè sumtis, adeoquè quoddam compositum, ideò ad ejus naturam penitiùs intelligendam non non necesse fuit virtutes reliquas præexplicare, quoniam simplicia composito suo sunt priora. Quicquid sit de ordine, *Iustitia, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, sic dicta, vel quasi Vistitia, quòd vim sistat. vel quasi Juristitia, quòd cuique jus suum sistat, verè, si rem, falsò, si nomen attendas. Deducitur quippè à justo justitia, sicut à malo malitia, ipsum porrò justum à jure, idquè iterum à jubendo. Quid enim aliud jus, quàm naturæ, populi, ejusvè, qui vicem gerit populi, jussum? Græcè loquentibus Δικαιοσύνη audit, tracto nomine à δίχα, quod valet bifariàm, sive divisim & duatim, mutato χ in κ εὐφωνίας ἕνεκα, cur nisi quòd ὁ διχαστὴς rem quamlibet in duas medietates secet, verè διχαστὴς hoc nomine. Quid si dicamus, δικαιοσύνην nihil aliud esse, quàm δικαίου σύνησιν, justi intelligentiam internam, & disciplinam externam, eamquè vel generalem, quæ omnium virtutum catena quædam, ut cùm Aristides dicitur cogno-

mento justus, non auditor tantùm sed factor qui fuit legum, vel specialem, quæ certæ alicujus virtutis, ut cùm justus dicitur miles, qui pro aris & focis strenuè pugnans neminem concutit, justus mercator, qui neminem defraudat, sed fidem & æqualitatem in contractibus observat, quâ ratione omnes particulares virtutes justitiæ vocari queunt, quando ad alios referuntur, licet hoc nomen in justitiâ distributivâ & commutativá potissimùm hæserit. *Sin Rem sive Realitatem ejus spectes*, ut sic Justitia est Habitus, Virtus, inquam, (putà Moralis, sive Acquisita More,) quâ homines propensi sunt ad res justas gerendas, quâquè res justas gerunt, & volunt etiam gerere; constans, inquam, & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi, quarum definitionum altera Aristotelica, Ulpianica aut Simonidéa veriùs altera, utraque justitiæ universalis, aut justitiæ in genere, neutra interim duarum omnibus absolunumeris: Non Aristotelica, quia in eâ communiter tantùm natura Justitiæ delineatur, neque tam substantia ejus exprimitur, quàm vis & proprietas, quòd videlicet per ejus habitum homines apti & propensi reddantur ad res justas gerendas, easquè gerant, & gerere quoque velint, tripliciter πραχλκοὶ hoc nomine,
&

& quia eas gerunt, cùm non sit satis habere aptitudinem & propensionem agendi justa, nisi etiam agas justè, quia facultates & potentiæ sunt contrariorum, quique potest justa agere, næ ille etiam potest agere injusta. & quia gerere volunt, cùm non sit satis, ut quis justa agat, nisi velit quoque, quæ justa sunt, agere, eò quòd fieri possit interdum, ut quis non volens, sed coactus, aut alioqui per imprudentiam, tribuat alicui, quod suum est, quem nemo propterea justum dixerit, quia justitia, non facultate, non facto, sed facientis voluntate, definitur. juxta illud Philemonis in Palamede:

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅστις, ἀδικεῖν δυνάμενος, μὴ βούλεται.

Utut interim melior definitio justitiæ vix dari possit, ut quæ per proprium actum & objectum naturam ejus exponat: Non etiam Ulpianica, nisi sic concipiatur cum Thomâ, quòd sit habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetuâ voluntate jus suum cuique tribuit: Quî sic? Quia enim justitia propriè non est ipsa voluntas, quæ potentia animi, sed adjunctus habitus voluntatis, ut omnis virtus moralis; sumto voluntatis vocabulo pro omni appetitu hominis sequente cognitionem, nedum ut constans & perpetua voluntas sit sola, quorum voca-

bulorum alterum est essentiæ & habitus magis, alterum verò existentiæ & actus, neutrum cadens perfectè in quenquam hominum, cùm nullius mortalium in terris queat ad hunc modum esse justus, ut immutabiliter velit agatquè justa semper, quod videtur præsumere definitio, congruens ad eam speciem definitionum, quæ causales dicuntur. Nam causa efficiens significatur, quando dicitur voluntas constans & perpetua, finalis verò, cùm additur, jus suum cuique tribuens. Sed cur non talis sola? Quia enim hoc ipsum commune omnibus virtutibus, non soli justitiæ proprium, quomodo fortitudo constans & perpetua voluntas fortiter agendi, liberalitas liberaliter, temperantia temperanter, mansuetudo mansuetè. Sed juvat ἀναλύειν. *Definitio utraque constat Genere, & Differentiâ Specificâ. Genus Justitiæ Universalis secundum Aristotelem est Habitus, aut Virtus veriùs, eaquè Moralis, secundum Simonidem verò & Ulpianum Voluntas, aut adjunctus habitus voluntatis veriùs. Ac Justitiam verâ re esse virtutem moralem.* id liquet inde, quòd & ipsa suo loco sit habitus electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter plus & minus pro medio, honestatem verò pro fine,

fine, quodquè bonum faciat habentem, opusquè ejus rectum ac perfectum det, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis. *Eandem Justitiam quoque quoquo modo esse voluntatem*, semel per metonymiam causæ pro effectu, sive in sensu causali, quoniam ex actibus voluntatis promanat, iterum per metonymiam subjecti pro adjuncto, sive in sensu subjectivo, pro adjuncto habitu voluntatis latè sumtæ, id iterum liquet hinc, quod actum justitiæ, per quem definitur & specificatur habitus, conveniat esse voluntarium. Ut enim justitia non sit voluntas, rectitudovè voluntatis essentialiter, est tamen causaliter, dum facit, ut quis alteri non tantùm velit jus suum tribuere, sed tribuere constanter, sive, cum proposito habituali deliberato firmo, tribuere perpetuò; sive semper, atque in omni eventu, non semel bis tervè, quod etiam homini injustissimo competere potest, cùm nemo tam injustus esse queat, quin interdum velit illud, quod justum est. Quid ergò? Ut genus vacillet in definitione Ulpianicâ justitiæ quoad τὸ ῥητὸν, sententia tamen verissima est, quod videlicet justitia sit firma προαίρεσις, constans, inquam, & perpetuum propositum voluntatis humanæ, suum cuique tribuendi

A 5 buendi

buendi positivè, putà bonum, & intribuendi, hoc est, non tribuendi negativè, putà malum, positivè bonum, tribuendo jus, negativè malum, abstinendo ab injuriâ. *Differentia Justitiæ Universalis explicitè sumitur ab objecto ejus, & Adjuncto Officio circa illud Objectum*, *implicitè verò à Subjecto*, positivè, inquam, ab illo, præsuppositivè verò ab hoc. *Objectum Justitiæ Universalis & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum eius totale & adæquatum conflatur. *Objectum Internum Iustitiæ Universalis, non tam sunt Affectus*, cogendi in gyrum rationis, circa quos justitia occupatur per accidens, eò quòd reliquæ virtutes morales subjectum ejus, hoc est, hominem justum, domi præparent, ne vel commoveatur metu potentiæ alterius, fiduciâvè gratiæ & honorum, quò minùs cuique jus suum dicat, vel cupiditate voluptatum & pecuniæ se patiatur expugnari, oftâ libidinis aut maſsâ auri objectâ, liventis, quoniam tot habet insidiatores, vel transversus abripiatur irâ o, diové, à viâ justitiæ in avia injustitiæ, quorum illud præcavet fortitudo & magnanimitas, istud temperantia & liberalitas, hoc mansuetudo, *quàm Actiones Internæ Immanentes*, à quibus omnem bo-

bonitatem moralem accipiunt actiones externæ tranſeuntes, quæ ideò bonæ, quia illæ. Dico, non tam affectus. Verâ quippè re juſtitia eâtenus moderatur affectus, ſaltem ſecundariò, quatenus illa moderatio eſt medium neceſſarium ad finem ipſius intrinſecum, qui eſt, reddere cuique jus ſuum, vel abſque interventu intentionis alterius virtutis, immediatè ex affectu juſtitiæ, non fortitudinis, magnanimitatis, temperantiæ, liberalitatis, manſuetudinis, operationibus ejus exterioribus magis exiſtentibus materiâ juſtitiæ, quàm aliarum virtutum moralium. *Objectum Externum Juſtitiæ Univerſalis, universè vel Negativum eſt, vel Poſitivum. Objectum Externum Negativum Iuſtitiæ Univerſalis eſt Ius, quod vocant, Oeconomicum Metaphoricum ſive Similitudinarium*, continens præcepta ſeu regulas de officio œconomico perſonarum domeſticarum, quod quæque ſibi invicem debeant, ſuoquè jure à ſe invicem exigere poſſint, v g, uxor à marito, ut rei familiari det foris operam acquirendo, maritus ab uxore, ut rei familiari det domi operam cuſtodiendo, curandoquè negocia domeſtica, ſimiliter liberi à parentibus alimentationem, inſtitutionem, educationem, defenſionem, parentes à liberis, pietatem,

reverentiam, obedientiam, servi à dominis, alimentationem & stipendia, domini à servis, operas & obsequia, quæ officia domesticorum domestica juris similitudinem quandam habent, sed similitudinem scilicet veri magis, quàm veram. Verâ quippè re maritum inter & uxorem, parentes & liberos, dominum & servos, non datur simpliciter jus, eò quòd, quæ sibi invicem debent, hæc debeant à naturâ potiùs, quàm ab hominum instituto, exquè lege pietatis potiùs, quàm justitiæ, nec ut alienis, & prorsus distinctis, sed tanquam sibiipsis, non magis, inquam, inter eos datur jus simpliciter, quàm injuria simpliciter dicta, quæ nullius ad seipsum, & sua, quare nec mariti in uxorem, quæ una cum eo caro, unitate consentaneâ & conjugativâ, nec parentum in liberos, qui pars quædam parentum, saltem aliquid parentum, usque dum adoleverint, & ex potestare eorum exierint, nec domini in servos, ut qui sint possessio & res domini, totiqué adeo ejus, Philosophando Oeconomicè, nullis existentibus legibus inter domesticos, quæ ipsos pariter obligent viâ justitię & juris, eò quòd non sint simpliciter alterum, ut duo homines, quorum unus non est sub altero, sed ambo sub alio, verùm quasi aliquid ejus existens

ftens, uxor quid mariti, filius quid patris, servus quid domini, adeòque nullo jure extante inter eos simpliciter, sed quodam; putà, maritali, paterno, herili, at benè datur ut jus ita injuria inter eos Philosophando Physico. Ethico-Politicè, quomodo salt ē hactenus injuriæ locus, si injuriæ, ergò & juri, inter præallegatas personas, in quantum uterque, & maritus & uxor, & pater & filius, & dominus & servus, homo, & aliquid secundum se subsistens, atque ab aliis distinctum, maritus ab uxore, pater à filio, dominus à servo, maritus v g repudians alia persona ab uxore repudiatâ, pater paciscens cum filio, alia persona à filio, quicum paciscitur, dominus verberans alia persona à servo vapulante. Ut enim filius, patrem occidens, non videatur peccare contra justitiam præcisè, dum facit contra debitum filii, & jus paternum, cùm sic solùm peccet contra pietatem, tamen hoc stante, neque interim obstante, peccat contra justitiam ἐν πλάτει, quatenus sine legitimâ autoritate hominem interimit. Est enim in hoc facto duplex malitia, altera contra justitiam, ratione substantiæ personæ, quæ læditur, altera contra pietatem, ratione circumstantiæ ejusdem personæ. Atque adeò, quid impediat, quò minùs inter præfa-

tas personas possit esse debitum justitiæ, quatenus sunt distinctæ, habentes jura & dominia distincta, ut si filius sit emancipatus, habeatquè bona castrensia, vel quasi-castrensia: Si item dominus & servus spectentur, prout sunt homines distincti, & in multis rebus liberi, suiqué juris, diversa jura habentes, quo in casu inter eas non non potest esse, ut jus, ita injuria, ut si dominus talem servum occidat, vel mutilet, quoniam in vitâ, membrisquè conservandis & tuendis, servus non subest domino, sed est sui juris: Aut, si servus furetur, damnumvè domino suo inferat, fugamvé contra jus & fas capessat. Sed satius næ satius fuerit, præterito Aristotele jus duplex constituere, naturale & positivum, atque ad illud quoquo modo referre œconomicum, quod commune potiùs jus, quàm proprium, & à naturâ magis, quàm ab hominum instituto. *Objectum Externum Positivum Iustitiæ Universalis est Ius, quod vocant, Politicum, sive id, quod Justum est, tribuiquè cuique debet*, voce politici acceptâ latè, in eo sensu, quo hominem appellitamus animal politicum, & hactenus civile, quæ differunt. Politicum quippè Græcis id dicitur, quod hominibus, societate quâdam inter se devinctis, est commune, ut vendere, emere, locare, con-

conducere, civile contrà Latinis, quod suæ cujusque proprium est civitatis, quomodo civilis olim Romæ fuit toga in Græciâ pallium. Dico, sive id, quod justum est. Cùm enim jus modò propriè sumatur, pro naturæ, populi, ejusvé, qui vicem gerit populi, jussu, impropriè verò, modò per metonymiam adjuncti, vel pro juris scientiâ, regulâ, inquam, sive normâ, cuique id, quod suum est, tribuendi præscribente modum, adeoquè directivè & activè, ut cùm jus à Celso definitur, quòd sit ars boni & æqui, vel pro loco, in quo jus dicitur, veluti cùm dicimus, aliquem in jus vocare, modò per metonymiam causæ, pro potestate jure concessâ, ut in definitione itineris, cùm iter dicitur esse actus eundi ambulandi homini, actus verò jus, id est, potestas agendi, vel jumentum, vel vehiculum, modò per metonymiam subjecti, pro eo, quod juri propriè dicto sive legibus conveniens atque consentaneum est, quodquè cuique tribuitur, adeoquè passivè & objectivè, sola omnium ultima significatio est hujus loci, siquidem jus spectetur, ut præstandum tamen, quomodo objectum fuerit justitiæ formaliter, eâquè prius, quia à jure sive justo justi nuncupamur nominaliter, & inde porrò justitia, non ut præstitum, quomodo effe-

effectum fuerit justitiæ, eâquè posterius realiter, jus sive justum prius justo, & hîc justitiâ Grammaticè, sive derivatione Grammaticâ, concretum abstracto, justitia contrà prior justo Logicè, sive derivatione Logicâ, abstractum concreto. *Jus Politicum* dicitur, quod obtinet inter homines liberos, numero aut proportione æquales, vitæqué communione junctos, ut iis omnia suppetant, quæ ad vitam sunt necessaria: Inter homines liberos, quia inter servos, quemadmodum nulla civitas, ita nec jus: Inter æquales, quia æqualitas maximè propria juris, adeò, ut inter quos est communis libertas, si tamen non sit æqualitas, nullum verè sit jus, ut inter maritum & uxorem, patrem & filium, quia jus inter eos propriè, inter quos lex, quæ nulla inter maritum & uxorem, patrem & filium: Et quidem numero vel proportione æquales, numero, in populari Republicâ, eâqué liberiori, proportione, in aristocratiâ & regno: Vitæqué communione junctos, quia inter liberos, æquales, & civitatis communione junctos, solùm est legis communio, quare & juris, quoniam id propriè ab omnibus justum dici consuevit, quod legibus est consentaneum, legibus definitur, estqué legitimum, quo fit, ut quibus lex
data,

data, iis quoque jus datum esse videatur, interquè eos solùm sit legis communio, qui se mutuò lædere, atque injuriâ afficere possunt: Ut iis omnia suppetant, quæ ad vitam sunt necessaria, qui finis societatis in genere, & hujus societatis in specie. *Estquèvel Naturale, vel Positivum sive Legitimum.* Sicut enim eorum principiorum, quæ pertinent ad veritatis contemplationem, alia sunt generalissima, & lumine naturali notissima, alia verò minùs generalia, & minùs nota, quæ ex generalissimis vi rationis theoreticæ deducuntur, ita eorum principiorum, quæ pertinent ad mores, & vitæ agendæ rationem, alia item sunt notissima & generalissima, atque in his lex naturalis est posita, alia verò minùs nota, & minùs generalia, quæ ex illis notissimis & generalissimis vi rationis practicæ deducuntur, atque in his lex humana est posita, quorum jurium illud naturale, quia omnibus naturali lumine innotescit, hoc positivum, quia lege aliquâ expressâ positum est, nec nisi voce aut scripto promulgatum hominibus innotescit. Atqui omnia jura videntur esse civilia & legitima, nulla naturalia, eò quòd omnia sint mutabilia, ipsa quin lex, de reddendo deponenti deposito, quæ tamen naturalis: Quare malè jus Politicum tribuitur in natu-

naturale & legitimum? Immò verò non malè, saltem hactenus, quatenus in ipsis iuribus mutabilibus discernendis, quæ videmus plerumque ad eundem modum, & apud plerasque omnes gentes, se habere, saltem eas, quæ ex ratione vivunt, politioremqué vitam sequuntur, neque barbaræ sunt & feris similes, hæc naturalia vocamus, civilia verò, quæ non plerunque ad eundem modum se habent, sed quotidiè, & omnibus in locis, ferè sunt diversa, quemadmodum mensuræ esculentorum & potulentorum, quas in omnibus locis constat esse dissimillimas, & per singulas civitates variare. Quod attinet legem de reddendo deposito deponenti, illa, ut admittat aliquam mutationem in hypothesi respectu furiosi aut hostis, tamen non respectu hominis & humanæ naturæ in thesi, quæ si semper foret recta, non admitteret talem mutationem. Saltem videtur omitti in hâc divisione jus divinum, quod nec naturale, cùm excedat naturam humanam, nec positivum, quia non innititur autoritati humanæ, quare vel hoc nomine videtur malè dividi! Malè autem? Immò benè, quia jus divinum morale est ipsum jus naturale, quo-cum convenit essentiâ, differens ab eo accidentibus, uti videre est lib. 2. Inst: Polit: cap: 3. § 12. *Jus Na-*

Naturale est, finitore Aristotele, quod ubique & semper eandem vim obtinet, idqué naturá suâ, non quia ita decretum vel non decretum est. Ut ita tres ejus sint notæ famosæ, una loci, quod omnibus in locis eandem vim & potestatem habeat, non aliam Romæ, aliam Athenis, aliam in Europâ, aliam in Asiâ, altera temporis, quòd sit perpetuum, non aliud olim, aliud nunc, aliud posthâc, tertia, quòd suâ vi & per se valeat, non quia ita hic vel ille statuit, Lycurgus aut Solon, adeoquè veritate, non opinione, obligans omnes homines in latitudine, si minùs in actu secundo, quomodo obligat adultos tantùm, sed habiles, minimùm in actu primo, quomodo obligat ipsos etiam pueros infantes, naturale, ratione causæ & originis, Politicum ratione usus, utroque modo immutabile, non quasi ab omnibus & semper præstari soleat in vitâ communi, cùm non observetur apud eos, atque ab iis, qui rebus non ita utuntur, sicut à naturâ est comparatum, apud bestiales, inquam, homines, sed quia omnes, idquè semper, & ubique, obligando obliget ad illud præstandum, obedienter & directivè bonos, hoc est, secundum naturam viventes, inobedienter & coactivè malos, hoc est, contra naturam viventes, utrosque in

foro

foro interiori sive conscientiæ, cuique ut dictantis ita reddentis suum jus, atque vel excusantis, vel accusantis, absolventis vel condemnantis. Scilicet jus naturale idem atque immutabile apud omnes & non idem: Idem, consideratum per se & simpliciter, prout à Deo naturæ autore est conditum, nobisquè impressum, cùm ita à Deo sit conditum, ut semper eodem se habeat modo apud homines, quà homines, sive eâ ratione, quâ homines sunt naturaliter: Non idem, consideratum ratione circumstantiarum & hominum, quà talium innaturaliter. Sicut ergò dicimus, quædam esse simpliciter & de naturâ suà sana, quæ tamen alicui non sunt sana, putà febrienti & febricitanti, dulcia, quæ tamen alicui nòn sunt dulcia, putà ei, qui habet gustum corruptum, id quod tamen non est v g ex naturâ vini vel mellis, sed ex corruptione illius, qui vino vel melle utitur: Eodem pacto jus naturale invariabile in se non haberet eam varietatem, quam habet, si omnes homines essent, ut esse deberent, sequendo rationem ducem. *Quod, putà Jus Naturale, an detur, quæstionis est, non voluntariæ, sed necessariæ*, contra negantes, nominatim Epicurum & sequaces, nominatiùs contra Callidem Sophistam, nominatissimè contra Archelaum

um Socratis Præceptorem, Pyrrhonem, Carneadem, qui jus non φύσει naturâ sancitum, sed δόξα νόμῳ ἔθει, opinione lege consuetudine constitutum, existimârunt, quasi turpe illud sit, quod tale utentibus videtur, ac non potiùs, quod tale in se, sive videatur, sive non. Atque adeò, dari jus naturale vel illud argumento, quòd sicut in speculativis dantur quædam ut principia, quædam ut principiata, sive ex principiis procedentia, sic & in activis: At in speculativis principia quædam sunt per se nota, quæ statim cognitis terminis percipiuntur lumine intellectus agentis, sine ullo discursu, ut de quolibet affirmatio & negatio, & de nullo istorum ambo, aut cum discursu, verùm imperceptibili, ut, si ab æqualibus æqualia demas, ea, quæ remanent, sunt æqualia, quæ sciuntur in scientiis, tanquam per se nota, neque probantur, sed ex illis positis, tanquam per se notis, vi illorum procedimus ad probandas conclusiones: Similiter in activis sunt quædam principia & jura naturalia collocata in intellectu activo, quibus ex ipsá naturâ, sine ulla probatione, intellectus assentitur, ut omne honestum est prosequendum, omne turpe fugiendum, quæ præsupponuntur in prudentiis, tanquam per se nota, neque probantur, sed ex illis

illis positis, tanquam per se notis, vi illorum procedimus ad jura civitatum, tanquam conclusiones, atque in his universalibus propriè est positum jus naturæ, hærentibus suâpte naturâ cuique intellectui sano, sine cujusquam doctrinâ & institutione: Etiam quin illud, quòd, si honestum & turpe, cujus discrimen est jus naturæ, non naturâ, sed lege & consuetudine discernitur, tunc quicquid autoritate publicâ decernitur, quicquid usu recipitur, honestum futurum sit, neque ampliùs immutabile dictum jus, sed mutabile, adinstar legum & consuetudinum, quæ in dies variant, quod æquè in comparatione absurdum, ac si diceres, calidum & frigidum distingui naturâ, honestum & turpe non item: Denique illud, quòd in animantibus brutis simile quid deprehendere licet. Leo quippè versis introrsus unguibus incedit naturaliter, & caudâ pedum vestigia delet, quæ elephantorum prudentia, quæ vulpeculæ, præsertim si transeunda sit glacies, sagacitas, quæ canum fides, quæ asini memoria, quæ in brutis quoque numerandi peritia, qui hirundinum niduli, quæ aranearum telæ, quæ apicularum mellificia, qui gruum volatus & vigiliæ, quæ formicarum œconomia, serpentum astutia, piscium, nominatim thyn-

thynnorum, induſtria & vigilantia, notum eſt in vulgus, & Deus, qui hæc ſuam per naturam prædicta animalia docuit, deficiat in homine, rex qui eſt animalium, nec huic in animo conſignatas notiones, ſeminaria quæ ſunt cognitiois & actionis, quibus ceu adminiculis omo in contemplando & agendo adjuetur, ad diſcernendum verum à falſo, vneſtum à turpi, duir? Credat Judæus ſella, non ego. Verùm obſtare videv dictis, quòd animum, ſi res intellilee, & ſecundum intellectus apprehenatem agere debeat, oporteat ab omni ſeitiâ vacuum eſſe, non ſecùs ac organa nſus ἄποια, ſua uti objecta percipere oſſint: Quodquè jus naturæ in tenellis pueris nullum ſit, ſaltem appareat, ut qui ipſos terminos ſimplices, è quibus principia conſtant, ignorent, quare multò magis ipſa principia: Quòd denique naturalia mutari nequeant, jus naturæ autem ſubindè mutetur. Sed videtur ſcilicer. Verâ quippè re non obſtant. Non primum, quia animi & ſenſuum diverſa ratio, quoniam lingua diſcernere ſapores haud poreſt, ſi inantè ſit ſapore quodam imbuta, uti videreque eſt in febricitantibus, adeòquè iis, qui mel acetum abſynthium & ſimilia deguſtârunt, cùm contrà animus, quò plus habet notitiarum, hoc

hoc paratior & expeditior sit ad intelligendum, non imparatior & impeditior ex eo. Non secundum, quia aliud τὸ εἶναι esse, aliud τὸ φαίνεσθαι videri, argumento scintillarum, quæ cineribus obrutæ cùm sint, non apparent, & tamen verè subsistunt, similiter notitiæ naturales in parvulis, ut non actu secundo, nisi ser suum ministerium accesserit, ita actu pri mo. Non tertium, quia mutatio illa ju naturalis tenet in assuefactibilibus & d sciplinabilibus tantùm, tum in paucul quomodo videmus ea, quæ totius s ciei, non tarò quibusdam in singular deficere, v g, videndi audiendi loque di facultatem, in pauculis, inquam, & d his pessimis: Jam verò, quid natu conveniens sit, quid minùs, ex pluribu iisquè optimis, qui normæ & regulæ instar, non ex paucioribus, & his pessimis, v g, hominibus ἀνθρωποφάγοις, colligendum, neque ex naturâ corruptâ, & facultate appetente, quæ sæpè rationem non modò deserit, sed etiam secum abripit, verùm incorruptâ, saltem incorruptiori, adeoquè facultate cognoscente, quæ deleri non potest, nisi ipsa deleatur natura, ratioquè desinat esse ratio, vel malè dispositi corporis commercio sui obliviscatur, ut fit in furiosis. *Jus Positivum Legitimum* est, finitore eodem Aristotele.

ristotele, quod ab initio, hoc an illo modo fiat, nihil refert, cùm verò constitutum est, tunc refert. Et hujus juris tres sunt notæ famosæ. Prima, quòd juris positivi sive legitimi hæc sit vis & natura, ut priusquam decreto est sanctum, sit ἀδιάφορον, hoc est, nullam vim obligatoriam habeat, citraquè culpam servari possit, vel non servari, postquam verò semel sancitum est, non item sit ἀδιάφορον sive disobligatorium. Ita v g in vestibus possum ego pileum, qualemcunque velim, gerere, est ἀδιάφορον; at si constituatur lex, ne quis pileo holoserico utatur, post constitutionem non est ampliùs ἀδιάφορον. Secunda, quòd jus positivum & legitimum per se suâquè vi haud valeat, sed θέσει τάξει νόμῳ, ut quòd ab hominibus suam habeat ut originem ita autoritatem, qui illud constituerunt, adducti probabili aliquâ ratione, desumtâ, vel ex lege naturæ, vel ex aliquâ circumstantiâ. Ex lege naturæ, quæ v g docet, fures esse puniendos, cui lex positiva addit modum pœnæ, damnando eos ad duplionem triplionem quadruplionem, latomias, triremes, fustuarium, exilium, laqueum, sequens in eo constituendo probabilem rationem. Ex aliquà circumstantiâ, ut cum frumentum tanto vel tanto precio venditur,

ob rei frumentariæ facilitatem vel difficultatem, aut cū in testamento condendo tot vel tot adhibentur testes, propter aliquas circumstantias, v g, sex septem numero, quod, antequam certus numerus lege determinaretur, utiq; fuit ἀδιάφορον. Tertia, quòd jus positivum & legitimum præsupponat honestatem, quam habet ex jure naturali, tanquam hypothesis ex thesi, referaturqué ad utilitatem eorum, quibus fertur, unde & τὸ δίκαιον κατὰ σύμφερον audit, ut intendi, ita remitti, ut exasperari, ita mitigari, valens, aut etiam, siquidem sit ex usu Reipublicæ, planè abrogari, saltem mutari, etiamsi omnes circumstantiæ, cum quibus antea obligabat, eædem maneant, cùm ideò dicatur jus positivum, quia in ponentis est positum potestate, rationabiliter tamen. Quid multis? *Jus Positivum sive Legitimum à Jure Naturali differt*. I. Origine, altero existente à Deo & naturâ, altero ab hominum voluntate arbitrio & autoritate. II, Objectis, altero existente generis, altero speciei. III Certitudine, altero existente ἀποδεικτικῷ, saltem ἀξιοπίστῳ altero πιστικῷ IV. Amplitudine, altero existente eôdem ubique, si minùs de facto, minimùm de jure, altero aliâs alio alibi, ad similitudinem mensurarum, quæ hîc majores, illic minores, & dierum

ac

ac noctium, quæ in diversis regionibus dissimiles, cùm contrà ignis ubique urat, & in Græciâ, & in Persiâ: Ut ita alterum omnibus in terris, omni loco & tempore, eandem vim ac potestatem habeat, alterum verò apud alias atque alias gentes sit aliud, ac ne apud easdem quidem semper idem, sed nec obligatorium semper, cùm non antè obliget, quàm fuerit sancitum. V. Duratione, altero existente firmo sive immutabili, tanquam radio divinæ lucis, manentis quàm diu se mens benè habet, habet autem, quàm diu cum normâ immotâ divinæ mentis congruit, discernentis honesta à turpibus, sicut lumen in oculis manet idem, donec natura hominis est incolumis, altero verò mutabili & variabili. Jura quippè civilia non ubique sunt eadem, quia non eadem est omnium civitatum ratio, sed varia & multiplex. Apud alios namque viget democratia, cujus multa rursus sunt genera, apud alios monarchia, cujus item, apud alios aristocratia, cujus item. Cùm ergò varientur civitates, ut varientur harum jura necesse est, cùm leges civitatibus, non civitates legibus, accommodatas esse conveniat. *Iurisconsulti Ius universè secant in Commune & Proprium : Commune iterum in Ius Naturæ & Gentium, sive Ius Naturæ*

Primævum & Secundævum: *Proprium in Jus Publicum & Privatum*, *hoc in Scriptum & Consuetudinarium sive Non Scriptum*. *Ius Naturæ Primævum*, quòd hominibus convenit cum cæteris animalibus, ipsis est, quod natura omnia animantia docuit, quæ in cœlo, quę in terrâ, quę in mari nascuntur, benè; siquidem accipias analogicè, & eâtenus, quatenus homines expetunt conservationem sui,& societatem in genere, in specie verò,maris & fœminæ conjunctionem, sobolis procreationem,alimentationem, educationem, defensionem, similiterquè bestiæ,secundum legem à naturâ impositam, sive secundum jus naturæ, per quod reguntur passivè, malè, siquidem Logicè, & eâtenus,quatenus homines insuper expetunt honestatem in rebus, & fugiunt turpitudinem, qui appetitus homini proprius, iisquè naturis, quæ ratione & intelligentiâ sunt præditæ, quibus cum careant animalia bruta, minùs propriè ad ea juris naturæ nomen extenditur, cùm in brutis tantùm sit naturæ instinctus, & phantasiæ operatio, non rationis, ex principiis practicis per naturam, sine accessoriâ institutione, deducentis conclusiones, cum distinctione boni & mali, voluntatisquè electione. Quæ causa, cur Deus nuspiam legatur

legem

legem vel inscripsisse vel præscripsisse brutis, fortean etiam ideò, quia nuspiam verè & simpliciter jus reperitur, nisi ubi propriè & verè est locus oppositæ injuriæ, cùm habitus & privatio sint circa idem, injuria autem non reperiatur in brutis, quare nec jus. Immò verò injuria, eaquè tam passiva, ut cùm quis avibus nidulantibus vim facit tempore fœturæ, contra interdictum divinum, equumvè alterius occidit, quàm activa, quemadmodum ea res patet ex bovis cornupetæ, & jumenti concubini, pœnâ lege statutâ, haud dubiè ob injuriam. Injuriam autem? Quasi verò, cùm quis avibus nidulantibus manus affert, injuriam his faciat, ac non potiùs Deo, capturam prohibenti? Aut quasi, cùm quis alterius bestiam occidit, ob injuriam illi illatam vocetur in jus, cũm ob quamcunque causam occidantur bestiæ ab homine, nunquam his injuria fiat, ac non potiùs, ob injuriam factam domino ejus, actione furti intentatâ: Aut quasi, cùm bos cornupeta, jumentumvè concubinum, puniuntur morte, patiantur pœnã propriè moraliter ac formaliter sumtam, quatenus præsupponit ἀνομίαν, & cum eâ simul culpam, occidanturqué, quòd injuriam fecerint, contravè legem deliquerint, cùm penes neutrum steterit, quò minùs facerent,

 quod

quod fecerunt, ac non potiùs materialiter & physicè sumtam pœnam, pro passione dolorificâ, cadente quoque etiam in bestias, quibus ea irrogatur, jubente ita earum creatore, in detestationem homicidii, sanguine hominis vel à bruto repetito, Sodomiævè, & in genere peccati, in cujus execrationem & abominationem ipsa terra fuit maledicta, tentoriumquè Achanis cum supellectili ejus exustum, quemadmodum hodieque videmus, in crimine læsæ majestatis humanæ, destrui ædificia reorum, ut tam nefandi criminis memoria inter homines penitùs aboleatur, quibus lata propriè est lex de bove cornupetâ & jumento concubino occidendis, non illis. Atque adeò jus naturæ non cadere propritim in bruta, vel illud insuper argumento, quòd nulla actio merè naturalis, qualis brutorum & brutalis, sit virtuosa aut vitiosa, justa aut injusta, quæ actiones morales naturalibus superadditę: Etiam quin illud, quòd sic turpis libido, cædes, & cuncta flagitia, sint futura juris naturæ, quia in his exprimendis videmus bestias sequi suam naturam, quæ propterea sine peccato omitti haud poterunt, eò quòd sint juris naturæ, quod absque peccato omitti nequit: Denique illud, quòd, quicquid positis omnibus necessariis requisitis ad

agendum non poteſt non agere, (non poteſt autem non beſtia, cùm omnis irrationalis potentia ſit μία ἑνὸς, ad unum,) id nullâ lege cogi queat ad ſecùs agendum. Aliâs, quid vetaret, leges dare lapidibus, ne deorſum cadant, cancris, ne obliquâ viâ incedant, ſcorpionibus, ne veneno noceant, cùm penes prædictas creaturas non ſtet agere aliter, quibus dum hòc ipſum vertitur vitio, næ blaſphemè in ipſum Deum creatorem faba eâdem operâ cuditur. Quid ergò? Cùm jus naturæ commune dicitur eſſe in brutis, id ita accipiendum, non quòd jus in illis reperiatur formaliter, quoad rationem juris, ſed quòd in iis deprehendatur materialiter, hoc eſt, id, quod quando in homine eſt, jus dicitur, v g, maris & fæminæ conjunctio, quæ alia in hominibus, quàm in beluis. In hominibus quippè matrimonium eſt, diſſolvi nequiens, niſi alterius morte, in beluis non item, quæ non junguntur matrimonio, verùm ὀχείᾳ, hoc eſt, vagâ quâdam promiſcuâ & ἀλόγῳ, naturâ impellente, congreſſione. Similiter natorum & ſobolis, cùm procreationem, tum educationem, reperire eſt in beſtiis, at hæc non rationi pietati honeſtati tribui debet, nedum moribus & legibus, verùm στοργῇ φυσικῇ, amori atque affectioni & in-

inclinationi naturali. Ut ita jus naturale sit commune bestiis cum hominibus, quoad opera cadentia sub illud, non tam positivè quàm negativè tamen. Ut enim opera illa suo modo sint his communia, tamen omissio eorum non est communis. *Ius Naturæ Secundævum sive Gentium*, quod hominibus tantùm convenit cum cæteris hominibus, ipsis est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, deductis conclusionibus è principiis nobis insitis, apud omnes tantùm non gentes, eo ipso momento, quo gentes esse cœperunt, communi usu receptis, absque constitutione aliquâ tamē. Sicut enim jus naturæ primævum eodē esse cœpit momento, quo homines, ita jus naturæ secundævum eodem momento, quo gentes, occupatum ferè in iis, quæ utilia his, qui accipiunt, dantibusquè non molesta, ut non prohibere aquā profluente, pati ab igne ignem capere, consilium deliberanti dare, transitum innoxiū concedere, non offendere &c. *Ius Publicum* ipsis est, quod ad statū totius Reipublicæ pertinet, ad salutem, inquam, non unius vel alterius, sed totius populi, spectatquè justitiam legalem sive universalem. *Ius Privatum* ipsis est, quod ad singulorum utilitatem pertinet, spectatqué justitiam moralem sive particularem. Dicitur privatum,

vatum, non quasi privatâ autoritate sit constitutum, sed quòd singulorum privatum emolumentum, & domesticum interesse, concernat, ut quod in singulorum hominum rebus atque bonis parte sui multò maximâ sit occupatum immediatè, nec publicum, hoc est, Rempublicam respiciat, nisi mediatè, quatenus opes privatorum sunt divitiæ civitatis. *Ius Scriptum* ipsis est, quod lege aliquâ expressâ constitutum est, nec nisi voce aut scripto promulgatum innotescit hominibus, cujus generis, Leges Manuscriptæ, Plebiscita, Senatusconsulta, Principum Placita, Magistratuum Edicta, Prudentum Responsa. *Ius Consuetudinarium*, *sive Non-Scriptum* ipsis est, quod consensu utentiū est approbatum, hoc est, exemplorum & actuum uniformium frequentiâ, in ratione consistentium, quæ, sicut anima legis scriptæ uspiam, ita consuetudinis scriptæ nuspiam. Quamvis enim consuetudinis permagna vis sit & autoritas, ita ut legis vim habeat, eamquè interpretari dicatur, prioremquè abrogare, putà, siquidem sit rationabilis, tamen si pugnet cum rectâ ratione, tunc sui momento, hoc est, solo cursu, non valet, tantum abest, ut legem vincat autoritate. Inter requisita quippè consuetudinis, quæ pro lege esse

debeat, inprimis requiritur, ut sit rationabilis. Quòd si enim rectæ rationi adversetur, desuetudo potiùs est, quàm consuetudo, aut consuetudo quidem, verùm nequam sive spuria, qualis illa, quæ naufragorum bona addicit domino territorii, quæ florem castitatis sponsæ sponso debitum domino territoriali præcipiendum & præcerpendum offert, quæ marito defuncto uxorem vivam cum eo Vulcano consecrat, quæ accusatorem furti furem suspendere cogit, carnificem in actu supplicii deficientem lapidibus obruit. Judæos inverso corpore suspendit appensis canibus molossis, nobilibus hominem occidentibus capitalem pœnam, pecuniâ cadaveri impositâ, pro sepulturæ honoribus, remittit, dictatori moribus Romanis licentiam dat, ut, quem velit civium, indictâ causâ impunè interimere possit, quæ lues potiùs, quàm leges. Est namque unum jus, & una lex, quod jus, & quæ lex, est recta ratio imperandi & prohibendi, quæ ubi cessat, cessat jus, & cum eo insimul lex. Utut interim non levis consuetudinis sit autoritas ad præstandam domi excusationem à pœnâ, juxta illud Augustini, dicentis, quia tunc mos erat, peccatum non erat, nunc quia mos non est, peccatum est; & alterum Senecæ, nihil pro-

nunciantis.

nunciantis in uno aliquo judicari notabile aut fœdum, quod genti suæ publicum est, quare nec pœnale aut punibile ex hoc capite, Quod enim lege permittente fit, id pœnam non meretur, ergò &, quod consuetudine, ut quæ legis vim habeat, jurisquè scripti sit loco. Scilicet inter causas malorum nostrorum hæc non est postrema, ait idem Seneca, quòd ad exempla vivimus, nec ratione componimur, sed consuetudine adducimur, Quòd si pauci facerent, nollemus imitari: Cùm plures facere cœperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est, fit autem consuetudine Sed transeat sanè cum cæteris erroribus etiam hic error. Quòd si juvat rogare, quomodo præallegata jura, ut conveniant, ita disconveniant inter se, respondebo, jus naturale & gentium convenire ratione formæ, ut quæ eandem habeant normam, nempè rationem naturalem, quæ in omnibus hominibus est eadem, sicut ubique & semper una eademquè est humana natura, hoc & civile ratione materiæ, eò quòd utrumque versetur circa res homini proprias, at disconvenire idem jus naturale & gentium ratione materiæ, eò quòd jus naturæ positum sit in iis rebus, quæ ho-

mini communes ſunt cum beſtiis, v g, in maris & fœminæ conjunctione, natorum procreatione, eorundemquè temporaniâ educatione, quas res tamen homines faciunt & factitant vi rationis naturalis, beſtiæ verò cœco quodam inſtinctu atque impetu, eoquè à juris naturâ alieno, jus gentium contrà poſitum in rebus homini propriis, v g, in gentium diſcretione, dominiorum diſtinctione, regnorum conſtitutione, commerciorum inſtitutione, bellorum geſtione, diſconvenire ratione diſpoſitionis, eò quòd homo, quà homo, ad juris naturalis notitiam & obedientiam diſponatur in primo naturæ momento, ſive, per primam naturæ inclinationem, ad juris verò gentium notitiam atque obedientiam in ſecundo naturæ momento, ſive per ſecundam naturæ inclinationem, quatenus idem homo eſt membrum generis humani, ſocietatis, inquam, humanæ, ad illam ſine diſcurſu explicito, ad hanc cum, ad illam ſine dependentiâ à poteſtate humanâ, ad hanc cum, tanquam per jus poſitivum humanum, derivatum à naturali, ſaltem non naturale in rigore, factâ ſuppoſitione, v g, diviſionis bonorum, abſque quâ præceptum non furandi haud haberet locum, non magis quàm præceptum ſerviendi dominis,

niſi

nisi suppositâ servitute, disconvenire ratione evidentiæ & probabilitatis, tam quoad præcepta affirmativa, quàm negativa, eò quòd jus naturæ inferat necessitatem rei præceptæ ex solâ rei naturâ, per evidentem i lationem ex principiis naturalibus, prohibeatque aliquid, quia per se malum, non quia prohibendo demùm malum fiat. non sic jus gentium, disconvenire ratione universalitatis & immutabilitatis, eò quòd jus gentium non sit tam universale & immutabile, atque jus naturæ, cùm hoc omnibus sit commune, illud non semper omnibus, sed ferè omnibus, hoc magis sit necessarium, illud minùs, quod autem non æquè commune & necessarium, illud nec æquè immutabile. disconvenire hinc jus naturale & gentium à civili, alterum horum, & ratione materiæ, eò quòd jus naturæ versetur circa res homini cum bestiis communes, jus civile circa res homini proprias, & ratione formæ, quæ juris naturæ convenientia cum ratione naturali, juris civilis cum ratione civili, alterum ratione formæ tantùm, ejusquè tam internæ, quæ juris gentium similiter convenientia cum ratione naturali, juris civilis verò convenientia cum ratione civili, quàm externæ, quoniam jus gentium, non scripto, sed moribus, iisquè

què, non unius alteriusvè civitatis provinciæ, aut gentis, sed omnium, aut tantum non omnium, gentium constat, jus civile contrà scripto, non moribus, aut moribus quidem, verùm municipalibus aut provincialibus, universalitatisquè atque immutabilitatis inde natæ, quæ minor in jure civili, quod quoad singula præcepta facilè in totum abrogari potest, major in jure gentium, quod tantùm in unâ vel alterâ parte diminui potest, neutro interim horum jurium moraliter existente mutabili in totum, quoad totam, inquam, collectionem præceptorum, quia neutrum potest vel à toto genere humano absolutè tolli, ita ut nullum ampliùs detur jus gentium aut civile sive civitatis. Ut breve faciam, jus civile ad jus naturale & gentium se habet, tanquam rivulus ad fluvium, & hic ad fontem, quia ex jure naturali & gentium derivatur velut conclusio specialis ex propositione generali, vel ut specialis determinatio axiomatis generalis. *Officium Justitiæ Universalis circa suum Objectum, vel Primarium est, vel Secundarium. Officium Primarium Justitiæ Universalis est, Æquitatem Naturalem Colere atque Exercere Ritè.* Ut enim jus naturâ nullam correctionem aut laxationem admittat in thesi, tamen admittit

mittit in hypothesi, circumstantiis personarum temporum locorum & rerum sic postulantibus, quæ si negligerentur, factum contra jus naturale futurum foret quibusdam in casibus. Hinc fit, ut leges naturæ inferiores à superioribus subindè mitigentur, ubi ambæ servari nequeunt, lex, v g, suum cuique tribuere, à lege, neminem lædere, in materiâ depositi, reddendi prodigo vel furioso, quarum illa inferior, hæc superior, lex non occides, quæ secundæ tabulæ, à lege, diliges Deum supra omnia, quæ primæ tabulæ, in historiâ Patriarchæ Abrahami, quarum illa iterum inferior, hæc superior, Deo legem ponente, non sibi, sed hominibus. Ut enim in hâc majore, non occides, ne Deus quidem dispensare possit, tamen in minore facere est potis, ut homicidium non sit, per quemcunque tandem executio fiat, quod sine ejus indultu alioquin tale foret. *Officium Secundarium Justitia Universalis est, Æquitatem Moralem, dicam, an Civilem Colere atque Exercere Ritè*, universalem sententiam legis, ad casus non expressos, secundum rationem utilitatis, & finem legislatoris, accommodando, extensâ v g pœnâ parricidæ in matricidam, ob rationis identitatem, ideoquè & juris, benignevè interpretando, ejusquè mentem potiùs,

potiùs, quàm verba, respiciendo, remissâ contra legem, si peregrinus conscensit murum, capital esto, pœnâ capitali peregrino, conscendenti muros civitatis, ut hostes dejiciat, quem peregrinum, si adesset legislator, æquè absolveret, ac vir æquus bonus, vicem ejus subiens per ejus absentiam, exacto & stricto jure neglecto, eò quod circumstantiæ loci temporis & personæ, ipsaquè adeò legislatoris mens, mitigationem requirant in hoc particulari casu, regulamquè Lesbiam sive plumbeam flexibilem & applicabilem, non Atticam inflexibilem, atque uno tantùm applicabilem modo, hoc est, ad casus expressos & determinatos, non indeterminatos, determinatione procedente ex jure naturæ, quod vir æquus bonus rationabiliter sequitur, illius principia præsupponens, & hinc deducens conclusiones illis correspondentes, pro re natâ, ne v g in nostro argumento maleficium patiatur, cui debetur beneficium, contra omnem rationem, quare & jus rationale, quo-cum pugnat jus summum, non quidem ratione constitutionis, quomodo quò magis est summum, hoc est perfectius, sed ratione interpretationis, cùm v g in calumniam & sycophanriam vergit, facitquè jus pendere ex verbis, cùm non verba

ba veniant in judicium, sed ea res, cujus causâ verba in leges conjecta sunt, quas scire, non est earum verba, sed vim & potestatem tenere, executionisqué, sumtum pro jure rigido & stricto sine mitigatione, quam legislator admitteret propter aliquam circumstantiam & probabilem causam, vigorem ejus, dicam, an rigorem, suspendendo. *Subjectum Justitiæ Universalis, & ipsum, vel Negativum est, vel Positivum. Subjectum Negativum Justitiæ Universalis, præter Deum, & Seipsum, sunt Falsò sive Apparenter Iusti Universaliter. Præter Deum*, in quem non cadit Justitia universalis, nisi admodum abusivè, cùm in eum non cadat appetitus sensitivus, qui subjectū ut quo virtutū moralium, perfectiovè accessoria per habitum acquisitum more, in moderamine rerum alienarum consistentem, non habentem locum in Deo, cùm Dei sint omnia, qui, quantumvis bonis abundet, nunquam tamen plus justo habet, nunquam in iis est nimium, & proindè nec jus: Ne dicam, quòd indignæ sint Deo actiones rerum contrahendarum: *Et Seipsum*, cùm erga se non magis quis possit esse universaliter justus, dum sibi jus suum tribuit, quàm clemens, dum sibi ignoscit, misericors, dum suis malis tangitur, liberalis, dum sibi

ſibi quid donat, comis & urbanus, dum erga ſe eſt affabilis, ſecumquè ludit & jocatur: *Falsò ſive Apparenter Iuſti Univerſaliter*, quales, qui alicui jus ſuum tribuunt, verùm inviti, vel coacti, non ſuâ ſponte, & deliberato animi conſilio, conſultò, inquam, & cogitatò, quiquè adeò ſemel atque iterum faciunt ea, quæ juſta ſunt. Sicut enim injuſtum propriè vocamus eum tantùm, qui habitum injuſtitiæ contraxit, non qui actum, ita & verè juſtum eum tantùm, qui ex electione atque habitu agit, quod juſtum eſt, non, qui opus aliquod juſtum edit, inſcius fortè, aut invitus, coactuſvè, cùm poſſit quis agere, quæ juſta ſunt, ut non fiat ideò ocyùs juſtus, denominatione ſumtâ, non tam ex actu, quàm ex habitu, in ſcholâ. Dico, in ſcholâ, purâ morali. In foro enim, non tantùm virtutum ſed etiam vitiorum nomina iis tribuuntur, qui actus virtutum & vitiorum ſcientes ac volentes perpetrant, licet ex diſpoſitione ſæpè potiùs, quàm bonitate vel malitiâ habituali, atque ita juſtus vel injuſtus etiam is rectè dicitur in foro, qui vel ſemel ſciens volens jus fecit injuriamvé. Ut ita tam juſtus quàm injuſtus audiat, uno modo, qui agit juſta vel injuſta ſciens prudens, v. g. juſtus Cambyſes, qui ſemel injuſto judici pellem detraxit,
eâquè

eâquè instravit tribunal judiciarium; geminoqué exemplo fur, quisquis furatur, adulter, quisquis adulterium committit, altero modo, qui ex habitu & proæresi justè vel injustè agit, qui κατ' ἐξοχὴν ita vocatur, v g, Aristides cognomento justus κατ' ἐξαίρετον, & sic fur formalis ac formularius, qui non semel tantùm furatus est, adulter, qui non semel tantùm adulterium commisit, sed sæpiùs, quodam quasi animi morbo incurabili, qui modus loquendi est hujus loci. Etsi enim Ethica meritò iis loquendi formulis uti debeat, quæ non abhorrent à communi consuetudine, & à populari sermone non multùm recedunt usu loquendi, tamen in philosophando accuratè distinguere eadem debet inter actus nudos & habitus usu artis, hominemquè ideò justum potiùs describere ab habitu, quàm ab actu. *Subjectum Positivum Iustitiæ Universalis sunt in genere Verè seu* Γνησίως *Iusti, in specie verò Supremus & Absolutus Princeps. In genere Verè seu* Γνησίως *Iusti*, quales, qui non tantùm propensi sunt ad res justas gerendas, easquè gerunt, sed gerere quin etiã volunt, idquè constanter & perpetuò. Qui enim tantùm semel aut bis, non autem semper, & in omni eventu, vellet cuique jus suum reddere, ille non est verè justus, cùm id etiam competere possit

possit injustissimo, quoniam nemo tam injustus, quin interdum illud velit, quod justum est, saltem materialiter, idquè vel quodam animi affectu, vel specie virtutis, vel suasu amici, vel impulsu hostis, judicisvè, vel appetitu & spe laudis, majorisvè commodi, non formaliter, quomodoqui agit, semper est justus, quia agit ex habitu, hoc est, sciens spontè & perseveranter. Nec est, quòd dicas, justitiam justum justè esse conjugata, ideoquè, qui justum agit vel semel, eum eo ipso esse justum, agerequè justè, quia, cui unum conjugatorum competit, hu c competat & alterum! Respondeo, conjugata esse, vel quoad nomen tantùm, vel quoad rem, vel quoad nomen & rem simul, primæquè classis conjugata esse justitiam justum justè, hoc est, nominalia, non realia, ideoquè nihil concludere realiter. *In specie Princeps Summus*, tum quia huic totius Reipublicæ cura peculiari ratione est commissa positivè, inclinante hunc justitiâ universali ad omnium virtutum, & per consequens legum observantiam, uti eas & ipse domi servet, & à subditis suis servari curet, cujus observantiæ causâ, adeoquè

Hâc unâ reges olim sunt fine creati,
Dicere jus populis, injustaquè tollere facta, tum

tum quia dictum principem de facili justitiæ capit oblivio negativè, adeptâ licentiâ, propter ingenium ejus versatile, quod, si bonum, corrumpitur dominatione, si malum, erumpit in dominatione, ubi nihil est, quod retinet, eò quòd legibus sit solutus, si minùs quoad vim doctrinalem, docentem, quid omittendum & committendum sit, & directivam, obligantem ad obedientiam, minimùm quoad vim correctivam, obligantem ad pœnam, quarum obligationum duæ priores à tertiâ separari queunt, actuquè separantur in nostro subjecto, hoc est, principe absoluto, qui, ut respectu doctrinæ & directionis nonnon sit subjectus legi vel à se latæ, tamen non item respectu correctionis, immò ne directionis quidem semper, non utique, cùm ratio legis, v g, de pendendo tributo, non concernit pariter principem & subditos, aut lex aliqua est abrogata, quo in casu desinit esse lex, quare & obligare. Dices objectabundus & responsabundus, sic principem sibiipsi videri teneri ad præstandam domi obedientiam! Immò verò, sed ratione honestatis & decentiæ scilicet, hoc est, quatenus leges illæ spectant bonos mores, non necessitate obligationis propriè dictæ, cùm

cùm enim à principe legiſlatore lata lex eum dicitur obligare, tunc non tam conſideratur, ut ipſius, quàm honeſtatis & juſtitiæ communis, præceptum, omnes obligans ad obſequium, v. g lex Solonis Solonem, Lycurgi Lycurgum, Charondæ Charondam, Zaleuci Zaleucum, Moſis Moſen, legem naturæ violaturos, ſiquidem nollent obligari ſuis legibus, quas cùm toti tulerunt univerſitati, cujus ſunt pars, etiam ſibi tulerunt, eò quòd eos legis ratio pariter attingat, quare & obliget. Turpe quippè foret in hoc toto collectivo, ſi pars, eaquè princeps, haud congrueret cum ſuo toto in iis, quæ partibus omnibus ſunt communia, atque ad ſalutem totius faciunt. Abſit enim, ut hominem ſinamus dominari in civitate benè rectâ & regulatâ, qui, qualiſcunque tandem ſit, affectibus eſt obnoxius, & corruptibilis ab intuitu perſonarum, ut apud quem ſit iræ locus, locus odio, metui, gratiæ, autoritati, potentiæ, beneficio, pecuniæ & muneribus, ſed benè rationem, hoc eſt, legem, quæ ſemper ſibi ſimilis, atque ad omnia immobilis, quibus homines ſolent moveri ad acceptionem perſonarum, cùm ſit res ſurda atque inexorabilis, nihil laxamenti aut veniæ habens, neque ſalubrior & melior inopi quàm potenti, potenti quàm

quàm inopi, ideoquè homine dignior, quia communior, quò autem bonum communius, hoc dignius, justior, quia indifferentior; ut quæ omnes indifferenter respiciat, cùm homo princeps aut magistratus frequenter flectatur amore odio pecuniâ, & quantumcunque bonus, sit flexibilis, securior, ut quæ nequeat fieri pejor, cùm princeps bonus possit fieri malus. aut hominem & rationem sive legem simul, verùm ἄλλως καὶ ἄλλως, illum propter æquitatem, particularesquè rerum eventus, qui non semper exprimuntur lege, quem defectum supplet homo pro suâ prudentiâ, hanc propter jus, & universalia, sive ea, quæ lege comprehendi & definiri possunt, illum ut artificem, sine quo nihil potest ars, hanc ut artem, sine quâ nihil potest artifex, cui illa præest, partim ut norma secundum quam imperium suum conformet homo rex adminiculo justitiæ universalis, partim ut frenum, quo affectus ejus coerceantur in operando, qui affectus universè magis locum nescio quomodo inveniunt in legum executoribus, quàm conditoribus, eò quòd in his minor sit suspicio affectus pravi, cùm statuant generatim, & pro tempore futuro, major contrà in illis, eò quòd decidant in casu particulari, concernente personas no-

notas & præsentes, ubi duplo major occasio sinistræ affectionis. Tribus, quod ajunt, verbis: Cùm in omnibus hominibus necessaria justitia universalis, tum in principe viro vel maximè, in illis per prædicationem, atque ut virtus directa, in hoc per imperium & causalitatem, atque ut virtus dirigens. *Sic descripta Justitia Universalis, quà Objecto, quà Subjecto, utroque tam Negativo quàm Positivo, differt à Virtute Universa*, quòd idem habitus, quatenus ad exercitium boni actus inclinat subjectum sive habentem, præcisè virtus dicatur, eaquè nuda, atque in se spectata, quatenus verò refertur ad alterum, huicquè deservit, virtute suâ alios, totamquè Rempublicam beans, præcisè justitia dicatur, illic consideratus ut κτῆμα, hîc ut χρῆμα: Quæ differentia in distinctione, non reali sive rei, sed rationali sive rationis, modo, inquam, considerandi, non essendi; quasi toto esse differant, consistit. Nullam quippè aliam virtus universa à justitiâ universâ essentiam habet, at benè existentiam & operationem, illâ agente domi, hâc foris & foràs, nullâ liberalitate, magnificentiâ nullâ, fortitudine & mansuetudine nullâ existente, nisi erga alios, idquè per imperium & causalitatem justitiæ universalis, tanquam virtutis archite-

tectonicæ omnibus imperantis, adinstar principis. *Extremum Iustitiæ Universalis est Injustitia Universalis in Excessu pariter & Defectu, unum & idem re vitium, differens interim ratione*, contrà quàm fit in aliis virtutibus. Cùm enim aliarum virtutum extrema, v g, audacia & timiditas, diversis operationibus committantur atque contrariis, unicâ autem operatione impossibile sit agere secundum audaciam & timiditatem, quæ sunt excessus & defectus fortitudinis, adeoquè duo sint vitia distincta, differentia inter se, & re, & ratione, injustitia una & eadem res, unicâ operatione conficit & plus & minus, excessum, inquam, & defectum, qui sunt idem re, differunt ratione. Etenim, qui v g aufert, & plus habet, & alicui aufert, cui verò aufertur, is minus habet, & aliquid perdit, quo fit, ut una eademqué ablatio faciat plus habere eum, qui aufert, & simul minus eum, cui aufertur, sicquè injustitia, unum re vitium, conficit utrumque extremum, differens ratione tantùm, prout subit rationes pluris & minoris, excessus & defectus, quia licet sit eadem res injustitia, tamen est alia ejus ratio, ut est plus, alia verò, ut est minus. Cùm ergò opponitur justitiæ injustitia, hæc subit vicem duorum extremorum, non

vitiosorumvé habituum, quorum extremorum alterum est plus habere de bonis, putà, divitiis & honoribus, & minus de malis, putâ, laboribus & damnis, alterum verò minus habere de bonis, & plus de malis. *Injustitia Universalis* est vitium morale, quo non præstatur obedientia legibus, humanaquè societas turbatur, sicut contraria justitia universalis, vi contrariorum, virtus moralis, quâ præstatur obedientia omnibus legibus, ad publicæ societatis conservationem, illa ἀνομία Græcis, hæc ἐννομία. Universalis namque injustitia ita se habet ad cætera vitia, ut universalis justitia se habet ad cæteras virtutes: Quare, sicut hæc idem est, quod universa virtus, cæteras virtutes ambitu suo complectens, ita illa idem, quod universum vitium, cætera omnia vitia sub se continens, hoc cum discrimine interim, quòd justitia universalis in uno numero homine, sive uno individuo, esse possit, eò quòd virtutes non contrarientur inter se, non item universalis injustitia secundum totam suam latitudinem, cùm vitiorum mutua contrarietas id non permittat, de quorum ratione & conditione est, ut inter se diffideant, atque ita diffideant, ut simul se compati nequeant, eò quòd malum seipsum destruat, quod si integrum, intolerabile.

Sic

Sic v g unus idemquè homo simul avaritiâ & prodigalitate, audaciâ & timiditate, nimiâ lenitate sive lentitudine & crudelitate, laborare nequit, cùm unum illorum vitiorum alterum suâ naturâ pellat, non in eodem genere tantùm, sed in diverso, v g, ambitio avaritiam, hæc ebrietatem. Accedit, quòd cùm omni virtuti duo repugnent vitia, qui uno horum laborat, ille nequeat simul laborare altero, v g, simul esse timidus & audax, avarus & prodigus, quo fit, ut non necesse sit, vitia inter se sororio vinculo esse connexa. Quæ res tamen non impedit, quò minùs hâc ratione injusti dicantur, qui omnibus vitiis oppleti sunt, quia tantum vitiorum tunc intelligitur, quantum cadere in unum hominem potest. *Objectum Injustitiæ Universalis sic est Injuria, ut Justitiæ Universalis Jus*, estquè illa nihil aliud, quàm damnum, quod invito à volente immeritò infertur. Cùm autem triplex sit damnum, unum, quod ab invito fit, alterum quod à sponte agente, tertium, quod ab eligente pariter & volente, quorum illud ἀτύχημα Græcis, casus fortuitus Latinis, istud ἁμάρτημα Græcis, culpa Latinis, hoc ἀδίκημα Græcis, injuria Latinis, non quodvis horum damnorum injuria, sed ultimum: Non primum, quia ἀτύχημα, sive

casus fortuitus, qualis, qui humano captu prævideri nequit, aut, si maximè prævideatur, nequit impediri, est, si quid à nobis fiat παραλόγως, inopinatò atque inexpectatò, sive per ignorantiam probabilem, & contra saltem præter rationem quodammodò, ut si quis magistratui debitum honorem non exhibeat, tecto decidens prætereuntem ruinâ fortè opprimat, venatorvè feram persequens hominem in vepreto delitescentem, Cephalus v g uxorem suam Procrin, pro ferâ jaculo conficiat, quo in casu, non solùm præter voluntatem agentis, sed præter opinionem atque expectationem omnium, damnum illatum est, neque quicquam, nisi per accidens, attulit, qui occidit, cùm injuria fiat à volente & sciente. Dico ἀτύχημα, sive casus fortuitus, ut distinguam ab ἀτυχία, sive infortunio, quæ voces, non tam factum fortuitum, quàm calamitatem & adversam fortunam, valent. Non secundum, quia ἁμάρτημα sive culpa est, si quid committatur vel omittatur, μὴ παραλόγως sive inopinatò atque inexpectatò quidem, absque malitiâ tamen, hoc est, affectatâ ignorantiâ, sinequè adeò animo nocendi, id quod multis modis accidere potest, ignorando, quem, quo modo, quâ re seu organo, & cujus rei causâ, læseris,

læſeris, ut, ſi quis ex feneſtrâ, in viam publicam, quà tranſire ſolent homines, jaculatus prætereuntem percuſſerit, qualis quidem nolens hominem percuſſit, cauſam interim aliquam attulit læſionis, eò quòd in viam publicam telum emiſit. Atque hinc eâdem apparet diſcrimen ἀτύχημα inter & ἁμάρτημα. Etenim ἁμάρτημα eſt tunc, cùm in ipſo peccante fraudis aut noxæ fuit principium, ἀτύχημα verò tunc, ubi principium totum eſt extra agentem, neque in facientis poteſtate, quà ratione alter peccare dicitur, ut in quo aliquid ſit ſitum, qu'què non facere potuerit, alter verò non, ut in quo nihil ſit poſitum, nullaquè culpa, lata, latior, latiſſima, immò ne levis quidem, quid levis, quin immò ne leviſſima quidem. Cæterùm Culpa Lata eſt omiſſio ejus diligentiæ & circumſpectionis, quam paſſim homines ejuſdem conditionis adhibere ſolent, ut ſi quis librum commodatum relinquat foris ante oſtium. Culpa Latior eſt dolus præſumtus. Culpa Latiſsima eſt dolus apertus, cùm deliquit quis affectatâ ignorantiâ, negligentiâvè, quam ſequitur incommodum, obtendens ignorantiam in iis rebus, quas omnes homines, communi ſenſu prædití, intelligunt, aut non adhibens eam diligentiam in rebus alienis, fidei ſuæ

commissis, quam adhibere assolet in propriis. Culpa Levis est omissio communis diligentiæ, quâ utuntur patresfamiliâs boni, sive, cùm quis, peccans consuetâ in suis rebus negligentiâ, non præstat in rebus alienis ea omnia, quæ diligens paterfamiliâs in suis rebus adhibere solet, v g, servus euangelicus, defodiens talentum domini sui. Culpa Levissima est omissio ejus diligentiæ, quam non diligens, sed diligentissimus paterfamiliâs, adhibere consuevit in rebus suis, hoc levior hinc culpa, quò castigatior inde diligentia, quia non est cujusvis talis diligentia, sed curiosissimi. Non primum, inquam, aut secundum, verùm tertium atque ultimum, quia ἀδίκημα sive injuria est damnum, cùm quis nocet sciens, atque eo animo, ut noceat, sive id fiat fraude, sive vi, quarum utraque à proposito ac studio nocendi proficiscitur, utraque etiam invito infertur, sed vis scienti, fraus ignoranti, consultò interim ac cogitatò utraque, non item similiterquè, cùm quis irâ amore aliovè animi impetu concitatus, sine deliberatione ullâ, alteri nocet, qui ἀδικεῖ μὲν, neque interim ἄδικός ἐστι, eò quòd non ex proæresi, atque ex malitiá, seu habitu vitii, peccet, verùm διὰ πάθος, per affectum, qualia ἀδικήματα sunt

ἀπρο-

ἀπροαίρετα καὶ ἀπροβούλευτα, ut horum causæ, τὰ πάθη, putá, quæ ut sint ἑκούσια propriè, quia cum scientiâ, & quia voluntas ea frenare, & potest, & debet, tamen ἀκούσια impropriè, quia horum non est autor is, qui irâ aut aliâ animi perturbatione commotus quid fecit, sed is, qui lacessivit. Atque hujus rei signum est, quòd ii, qui injuriæ postulantur, quam non intulerunt deliberato animo, sed justâ irâ provocati, confitentes factum soleant se tueri ipso jure, cùm, qui deliberato animo alicui intulerunt injuriam, non se jure, sed facti negatione, soleant defendere. Scilicet quatuor modis injuriã quis inferre dicitur, inscienter, sive per ignorantiam, invitè & fortuitò, sive præter intentionem, furenter, sive per affectum, insaniamvè, denique spontaneè & consultò, sive per malitiam, Atque ab hoc quarto modo formaliter quis injustus dicitur: Non à primo, quia ignorantia inculpata excusat de injustitiâ, siquidẽ sit facti, & per consequens de injuriâ, qualis, quando ignoramus, non, an honestè vel inhonestè quid fiat, sed facti tantùm circumstantias, sive principales, ceu sunt, objectum, circa quod versatur actio, & finis particularis, propter quem suscipitur actio, sive minùs principales, ceu sunt, locus, tempus, instrumentum, antece-

dentia, consequentia, connexa, ignorantia item juris particularis, quâ ignoratur aliquod speciale atque extraordinarium edictum, vel mandatum, promulgatum à magistratu, qualis ignorantia ad tempus excusare potest, sed ad tempus scilicet, non semper & perpetuò: Non à secundo, quia, quod quis invitus & fortuitò facit, illud moraliter non fecisse putatur, nisi fortè per accidens, hoc est, efficiendo illud, cui hoc accidit, ut sit injustum, siquidem fuisset spontaneum: Non à tertio, quia, qui per affectum, dummodò non sit atrocissimus, insaniamvé, facit id, quod injustum est, hoc facit per accidens, atque indirectè, saltem non ità directè, atque qui sciens, & suâ sponte, qui absolutè injustus. Ut ita quid injustum esse possit, quod tamen non sit ἀδίκημα injuria, ut cùm voluntas fertur in causam, v g, in ebrietatem, neque interim in effectum, sive mala ebrietatis, aut furiosus quem occidat, sed illud tantùm, quod scientis & volentis est, cùm nemo possit ἀδικεῖσθαι, injuriam accipere, si non sint ἀδικοῦντες, injuriàm facientes. *De hoc Objecto Injustitiæ Universalis, sive Injuriâ, disputatur in Peripato, tum ratione Subjecti Ferentis Injuriam, hoc est, Injuriati, an videlicet volenti ea queat fieri, tum ratione Subjecti Inferentis Injuriam,*

hoc

hoc est, Injuriantis, an videlicet quis eam sibi queat facere, atque ita simul esse, & Injuriatus, & Injurians? Quod attinet primum nodum, *an videlicet volenti possit fieri injuria propriè dicta*, hunc solvunt Moralistæ, distinguendo Voluntatem inter Rectè Compositam, Regulatam, Solutam, Absolutam, Plenam, Expressam, Injuriamquè in Sensu Formali, & Voluntatem Defectu Laborantem, Erroneam, Ligatam, Conditionatam, Semiplenam, Tacitam, Injuriamqué in Sensu Materiali. Priori concipiendi modo injuriam fieri posse negant volenti, tum quia contrariorum contraria sint attributa, facere verò & pati injuriam sint contraria, quare si illud voluntarium, hoc involuntarium, tum quia injuria sit spontanea & malitiosa læsio, nemo autem se spontè & malitiosè lędat, lædivè velit, cùm nemo intendens ad malum operetur, injuria autem sit in malis, tum quia nemo appetat simpliciter sui destructionem, appeteret autem appetendo injuriam, conjunctam cum boni alicujus privatione, majori minorivè pro re natâ. Quod si ita, cùm Glaucus Homericus dat arma aurea, accipitquè ferrea ab hospite Diomede, eo ipso haud passus est injuriam, quia dedit spontè, inquè potestate ejus fuit non da-

re. Permutatio quidem ipsa fuit injusta, permutanti interim non est facta injuria, quæ nolentis, non volentis, & à faciente non patiente. Cùm deinde mercator pluris vendit mercem, quàm par est, emtorquè sciens, non egestate pressus, tantum solvit ex liberalitate, quantùm venditor petit, & hæc emtio est injusta, emtori tamen non fit injuria, quia emtor, cui aliâs fieri potuisset injuria, cessit de jure suo. Sed nec virgini fit injuria, quæ volens patitur stuprum, cumqué scortator multatur, multatur non ob injuriam illatam virgini, sed familiæ & Reipublicæ. Atque hoc innuere videntur verba Euripidis in Bellerophonte, ubi parricidium excusans filius, matrem, inquit, peremi meam, sponte & suâ & meâ, aut suâ, non meâ, vel, volens volentem, seu volentem non volens. Pertinent huc & sequentis commatis quæstiones: An fiat injuria, si volens quis veneat, & servus fiat? Si cui furtum fiat volenti? Si quis vastet vineam custode consentiente? Si minus quis accipiat, quàm ipsi debetur, idquè ferat æquo animo? Si reliquum debitori remittat? Si convicia, verbera, & id genus alias contumelias, patienter ferat? Ex quibus perspicuum, posse quem injustam rem perpeti volentem, ut tamen nullam accipiat injuriam. Ut enim

enim omnes, qui perpetiuntur injuriam, etiam perpetiantur rem injustam, tamen non contrà, qui perpetiuntur rem injustam, etiam perpetiuntur injuriam, quia fieri nequit, ut accipiatur injuria, ubi nemo est, qui eam intulit, ut si v g ignorans quis alium percutiat, qualiter percussus non accipit injuriam, eò quòd percussor illam non faciat, quippe ignorans, quamvis injustum interim, & ille faciat, & hic patiatur. Ut ita omnis injuria quidem sit injustum factum, quippè læsio malitiosa. non contrà omne injustum factum ocyùs injuria, cùm possit esse læsio casualis, non causalis. Posteriori concipiendi modo injuriam fieri posse affirmant volenti, Voluntate Defecta Laborante, sive eclipsin moralem patiente, propter perturbationem nimiam, quomodo armiger Saulis haud dubiè injuriam intulisset homini desperabundo, si ipsum cædem sui præcipientem trucidâsset, licet eam non appeteret sub specie injuriæ: Voluntate Erroneâ, sive ea sit simplicis & puræ negationis, quomodo Josephus haud dubiè fratres suos magnâ affecisset injuriâ, si in voluntariâ eorum sententiâ, contra seipsos dictatâ, acquievisset, sive pravæ dispositionis, ut si quis furioso petenti cultrum porrigeret, eoquè ille se vel alium læderet: Volunta-

luntate hinc Ligatâ, vel Naturaliter, ut si puer vellet omne, quod suum est, alteri largiri, & is oblatum acciperet, qui injuriam utique hactenus pateretur volens, vel Moraliter & Civiliter, ut si quis alteri volenti manum detruncaret, cùm nemo sit dominus membrorum suorum, ita ut de iis possit pro suo arbitrio dispensare. Ut enim cessio juris locum habeat in iis, in quibus jure nostro cedere possumus, v g, de famâ honore & bonis externis, quorum sumus domini, quia sunt dispositionis nostræ, tamen non item in iis, quorum non sumus domini, sed custodes tantùm, ut vitæ & membrorum, in quibus jure nostro cedere haud possumus, aut, si cedamus, cessio est invalida, permanente toto jure in vigore, ut si quis interficeret Titium volentem, aut eo volente adulterium committeret cum uxore ejus, malè, quia neutro jure valuit cedere, nec alter sic cesso uti, utroque peccante, quia alter voluit, quod velle per leges non licet, alter verò fecit quod facere per leges non licet: Voluntare insuper Conditionatâ, ut, si sub certâ conditione quis persolvat usuram ultra sortem egestate pressus, quò præsenti necessitati subveniat, idquè volens nolens, qualis injuriam patitur, quia ita vult, ut mallet simpliciter sortem restituere

fuere absque usurâ, saltem tali usurâ, siquidem gratis usurarius, licitâvè usurâ, pecuniam mutuari vellet, sicut & is, qui latronibus pecuniam dat volens, quò vitam redimat, etsi volens eam det, quia non censetur viator cessisse jure suo, si quo modo involuntariè, renitentequè ac reclamante affectu, consentiat, inductus ad id ab eo, qui læsurus est, interveniente ex unâ parte voluntate, ex alterâ verò dolosâ persuasione, jam verò is, qui decipitur, pro non volente habetur, cui ideò fit injuria, ex hoc capite: Voluntate præterea Semiplenâ, putà, cùm volens non habet voluntatem integram suprà totam actionem cadentem, ut cùm martyres volentes martyrium patiuntur, quò lucrentur cœlum, nolentes verò, ne martyrisantes in æternum pereant, atqui, cùm volens non totaliter sed partialiter quid vult, alioquè fine & modo vult læsionem, quàm ipsi infertur, v g, martyres ut veram religionem sanguine suo confirmarent, tum δογματικῶς, tum παραδειγματικῶς, martyrisantes contrà, ut eam stirpitùs extirparent, excruciatis & excarnificatis confessoribus ejus, næ ille hactenus injuriam patitur, quoniam, ne cui injuria fiat, non sufficit voluisse quid ex parte, verùm omni ex parte. Adhuc Voluntate Tacitâ, si v g invidus volens patiatur leviuscu-

leviusculum damnum, quò alteri noceat, Titiusvè sibi velit Sempronium furari æquum, quò ei suspendium adjudicetur, qui Sempronius si optata Titii exequeretur, næ ille injuriam pateretur volens, ut non voluntate expressâ, saltem tacitâ: (Atqui Titius eo ipso juri suo renunciavit, cui ideò cùm aufertur equus, non fit injuria, quia jus equi à se abdicavit, nec ampliùs habet, cùm privatio & habitus sint in eodem subjecto, quo fit, ut, qui non habet jus in rem, in eum cadere nequeat injuria, siquidem Titius expressâ voluntate id voluisset tamen, non tacitâ:) Denique in sensu materiali, non formali, ut cùm avarus, suum defraudans genium, opes multas corradit, qui injuriam quidem sibiipsi infert volenti in sensu materiali, si nudus actus, absque consideratione intentionis ad ulteriorem finem, perpendatur, at non in sensu formali. Quamvis enim, quod defraudat genium suum avarus, in se & in rei veritate, injuria sit, tamen injuria ipsi non videtur esse, eò quôd defraudatio illa genii avari ingenio sit conveniens, qui ideò injuriam sibi infert, non formaliter, sive sub specie injuriæ, & cum proposito nocendi, sed materialiter tantùm. Scilicet sicut illud propriè & per se homo facit, quod volens facit, ita illud

lud propriè & per se patitur, quod contra voluntatem suam patirur: Quo fit, ut sicut justum per se & formaliter nullus potest facere nisi volens, ita nec injustum pati nisi nolens; nisi fortè per accidens, & loquendo quasi materialiter ac concomitanter, quomodò quis potest id, quod est de se injustum, vel facere nolens, vel pati volens, fide superiorum. Atque hâc interpunctionis spongiâ unâ liturâ inducuntur, quæ contra tritam & communem sententiam in medium afferri solent. Primò, quasi videlicet is, qui scit, secundum voluntatem alterius accidere, quod ei accidit, non videatur habere propositum lædendi & nocendi, absque quo nulla datur injuria, quam ideò is non videatur inferre, aut intulisse. Ad quod objectum respondeo, eum, qui facit alteri sciens & volens, quod lex prohibet fieri, volentem lædere, lædendiquè propositum habere, hoc est, faciendi id, quod facere non licet, quare afficere injuriâ. Secundò, quasi malum nemo suâ sponte patiatur, injuria autem sit in malis, & tamen hoc stante, neque interim obstante, videamus appetere adulterum impunitatem, quæ mala utique, & contra legem! Ad quam difficultatem respondeo, magistratum, qui adultero aut homicidæ impunitatem dat, huic non facere

cere injuriam volenti, licet interim faciat id, quod malum & injustum est, cur, quia neuter eam appetit sub specie injuriæ, & formalitate mali. Tertiò, quasi denique nolenti jus suum fieri queat, v g, furi, dum suspenditur, quare vi contrariorum injutia volenti! Ad quod cavillum respondeo, furi, cùm suspenditur, non propriè jus suum tribui, sed parti læsæ. Ad eum quippè ius spectat, cui facta est injuria, quoniam privatio & habitus sunt in eodem subjecto, quare ad læsum, non lædentem. Quod attinet secundum nodum, *an videlicet quis sibiipsi possit facere injuriam propriè dictam nominatim* Αὐτοφόνος *sive Propricida*, hunc solvunt Moralistæ, negando, quem sibi posse facere injuriam, tum quia, qui facit injuriam, & spontè faciat, & consultò, & prior, & alteri, habendo plus, at qui injuriam patitur, & invitus patiatur, nulloquè, ut id patiatur, consilio adhibito, & postquam illata ea fuerit, & quidem alteri, habendo minus, jam verò nemo idem simul possit esse volens & invitus, consultò & præter consilium agere, priùs ac posteriùs, in se quasi in alium, & ad alterum, haberequè simul plus & minus, quorum illud in lucro. hoc in damno esse solet, eodemquè adeò tempore inferre simul & pati malum,

quæ

quæ συναλλάγματα, immò ἀσύστατα, tum quia si quis sibiipsi posset facere injuriam, tunc aut contra universalem justitiam eam sibi illaturus sit, aut contra particularem, non contra illam, quia, qui universaliter est injustus, is peccet contra aliquam legem, nulla autem sit lex, de non faciendâ sibi injuriâ, atque ut maximè esset, sic injuria legi fieret & Reipublicæ, non injurianti, cùm volens patiatur, quicquid patitur, non etiam contra hanc, quia hæc sit πρὸς ἕτερον, nemo autem à seipso sit ἕτερος, tum id facturus quis sit secundum certam aliquam speciem injuriæ, putà, furando, adulterando, decipiendo, id quod fieri nequeat, cùm nemo possit rem suam furari, nemo cum suâ ipsius uxore adulterium committere, nemo ædium suarum parietem perfodere, depositum sibi non reddere. Excipies fortè, quasi in parenthesi, si quis obæratorum tabernam suam effringat, atque inde auferat merces proprias, saltem hunc videri sibi facere injuriam. Sibi autem? Immò aliis, putà creditoribus, quia fraus illa ad alios pertinet, quos hoc modo frustrari conatur. Aliud en exemplum ejusdem argumenti. Maritus, suspectam voluntatem uxoris suæ tentaturus, eam solicitet verbis alterius, cedo, annon tentator, alienam personam induens,

duens, alienæ pudicitiæ est insidiator? At non sub specie injuriæ, vel sui, vel suæ, saltem non sui. *Quòd si quis sibi nequit facere injuriam volens, ergò nec* Αὐτόχειρ ἢ Αὐθόφονος *sive Propricida*, quia sicut justitia semper est ad alterum, ita & injustitia, & per consequens injuria, saltem externa, quâ sponte alicui contra illius voluntatem nocetur, non perindè interna, quâ quis adversus potiorem & nobiliorem sui partem, putà rationem, in eodem supposito est injurius, licet interim hoc stante, neque tamen obstante, hic talis injuriam faciat Deo, in quantum est aliquid Dei, scilicet imago ejus, faciat naturæ, in quantum est creatura rationalis, faciat Reipublicæ, in quantum est pars ejus. Obsigno hunc locum, & eâdem operâ totum hoc caput, gemmâ Oberti Giphanii, Philosophi & Jurisconsulti Clarissimi. Quid ergò ille? Qui facit, inquit, quod lex vetat, injuriam utique facit: Sed, qui seipsum interficit, facit id, quod lex vetat: (Neque enim lex jubet quenquam sibiipsi mortem consciscere, quod autem non jubet lex, id vetat, persuade, in rebus turpibus & inhonestis, quæ si nominatim non cientur, aut jubentur, tacitè prohibitæ censeri debent, quomodo Solon parricidia non jussit, neque etiam nominatim vetuit, censetur

tamen

tamen vetuisse, quia non jusserit.) Ergò injuriam facit: Sed nulli alii, quàm sibiipsi, cùm ipse sit & agens & patiens: Ergò, qui contra legem sibi mortem consciscit, sibiipsi injuriam facit! Cui difficultati sic occurrit, respondendo, Reipublicę hunc potiùs facere injuriam, quæ illum propterea pœnâ afficiat, qui, si neque sibi, neque privato alii, neque Reipublicæ, injuriam faceret, pœnâ affici haud posset, deberetvè: Atqui aliis injuriam ab eo non fieri, hoc certum est, nisi fortè per accidens: Sed nec sibi eum injuriam facere, quia sponte suâ patitur, & hoc certum est: Relinquitur ergò, quòd injuriam faciat Reipublicæ, cui subtrahit civem injustè, cùm nemo membrorum suorum sit dominus. Hæc ille, non malè, meo judicio.

CAPUT XLV.

De Justitiâ Particulari, & hujus Extremo, id est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitiâ Particulari.

Absolutâ Doctrinâ de Justitiâ Universali, contrà ut distinctâ ita distinguendâ à Justitiâ Particulari, transit Philosophus ab illâ ad hanc. Dicò, contrà ut distinctâ ita distinguendâ à particulari. Quam-

Quamvis enim justitia particularis includatur seu contineatur in universali materialiter, non secùs ac linea in lineato, principium in principiato, elementum in orto ex elementis, unitas in multitudine, adeoquè, qui est justus justitâ universali etiam sit justus justitiâ particulari, differt tamen ab eâ formaliter, cùm nihil sit aliud, quàm συμμετρία καὶ συμφωνία omnium virtutum, quod non item dici potest de Justitiâ particulari, quæ tantummodò occupata est circa ἰσότητα, tribuendo cuique, quod suum est. Unde fit, ut injustitia universalis, opposita justitiæ universali, sit παράνομόν τι, aliquid discrepans à lege, particularis verò injustitia, opposita justitiæ particulari, ἄνισόν τι inæquale, ipsaquè justitia, cui utraque opponitur, neque ὁμωνύμως justitia, sive æquivocè, neque συνωνύμως sive univocè: Non illud, quia conveniunt in communi genere, relatione nimirùm ad alterum, in nomine, inquam, & in quâdam ratione ipsius generis, cùm utraque sit justitia, & virtus ad alium: Non hoc, quia reipsâ differunt, & quælibet habet suam propriam rationem ac naturam, versans circa diversa, universalis circa omnia, circa quæ versatur homo studiosus, ad observandas leges, ob bonum commune, particularis circa certam materiam, putà hono-

honores, pecunias, & bona externa, utraque quidem ad alium, verùm illa ad Rempublicam, hæc ad hunc vel illum particularem hominem, quæ diversa χίσις non permittit, ut omninò sint univoca, hoc est, ut cùm habeant idem nomen, habeant quoque penitùs eandem rationem, cùm illud, quod dicitur ad alium, diversimodè intelligatur, quæ diversa χίσις etiam locum habet in aliis, quomodo duo v.g. Ajaces sunt homonymi, & tamen aliquo modo synonymi, quia non differunt κατ' ἰδέαν, seu totis speciebus, sed sunt ejusdem speciei seu generis, quia uterque est homo, & sic utraque justitia justitia, hoc est, virtus ad alium, habitusqué electivus utraque. *Atque adeò, dari justitiam particularem, quæ diversa sit à cæteris virtutibus moralibus, quæque sub universali justitiâ, sicut pars sub toto, contineatur, sic ostendi potest.* I. Quia, si est aliqua injustitia, ut pars totius vitiositatis, erit quoque aliqua justitia, ut pars totius virtuositatis, quoniam contrarius habitus ex contrario habitu cognosci solet: Verum prius, cùm detur species vitii, quæ dicitur injustitia pleonectica, consistens tantùm in plus appetendo, habens suam propriam operationem vitiosam plus appetendi, conjunctam cum injuriâ lucrandi, & plus capiendi, contraquè

traquè distinctam ab aliis vitiis, putà, timiditate, iracundiâ, avaritiâ: Ergò! Quia si injustitia hæc particularis non distincta sed eadem foret cum universali, tum παράνομος idem & πλεονέκτης foret: Sed falsum posterius, quoniam qui cætera per vitia quid agit, ille ἀδικεῖ μὲν, injustè quidem agit, πλεονεκτεῖ δ' οὐδὲν, sibi tamen plura haud sumit, quàm par est, ut si quis per timiditatem clypeum abjiciat in prælio, aliquem verberet per iracundiam, egenti suis opibus non succurrat per illiberalitatem: Ergò & prius! Quod si ita, cùm dentur duûm generum injusti, alter παράνομος, alter πλεονέκτης, dabuntur quoque duo injustitiæ genera, unum ob παρανομίαν, hoc est, legum violationem, complectens quasi totum omne id, quod contra leges est, παρανομικὸν aliter, alterum ob πλεονεξίαν, hoc est, plus habendi studium, complectens quasi pars quædam inæqualem bonorum externorum distributionem, πλεονεκτικὸν aliter: Si inquam, dantur duûm generum injusti, ut dantur, ergò & justi, νόμιμος alter, ἴσος alter, totidemquè justitiæ genera, unum ob ἐννομίαν, legum obedientiam, alterum ob ἰσότητα æqualitatem, illud ἔννομον aliter, hoc ἴσον, cur, quoniam quot modis contrariorum unum dicitur, totidem & alterum. Quod dixi, duûm

gene-

generum dari injustos, illud hoc exemplo fiet clarius. Sint duo, quorum alter quæstus causâ committat adulterium, alius ob libidinem, dans aliquid de suo, jacturamquè rei suæ faciens, uterque injustus, sed hic injustitia paranomicâ, hoc est, hactenus, quatenus intemperantia sub universali injustitiâ continetur, idquè, quia ἀπαξία est in ordine ad ipsum operantem, ille injustitiâ pleonecticà, idquè, quia ἀπαξία est in ordine ad alium, quæ res argumento utique totidem numerari justos justitiasquè. Sed interpellaverit & intercesserit forsitan aliquis, excipiendo, justitiam universalem esse virtutem totam, ergò in ea contineri justitiam particularem, ideoquè haud esse opus justitiâ particulari, distinctâ ab universali! Responderit huic fortè alius, sive totum universale, sive totum integrale, intelligatur, nullam esse consequentiam, cùm neutrum horum possit esse sine partibus, quà subjectivis, quà integralibus, partes verò à toto semper sint distinctæ, cùm sint totius, non totum, quare & justitiam particularem ab universali ex hoc capite. Institerit fortè alius, species re non distingui à suo genere, justitiam verò particularem esse speciem legalis sive universalis justitiæ, ergò re non distingui ab eâ! Restiterit alius, justitiam universalem à parti-

cu-

culari certo respectu specie differre, siquidem attendatur distinctio justitiæ universalis quoad prædicationem, spectetur-què differentia formalis, manens reliqua inter utramque. Denique arguerit alius, in virtutibus nihil dari superfluum, non magis, quàm in naturâ & naturalibus, cumquè justitia universalis sufficienter ordinet, ut ordinat, hominem in his, quæ sunt ad alterum, ideò non esse necessariam aliquam justitiam particularem! Redarguerit alius, justitiam legalem sive universalem sufficienter quidem hominem ordinare in his, quæ sunt ad alterum, quoad commune bonum immediatè, & quoad bonum singularis personæ mediatè, at non immediatè, ideoquè oportere esse aliquam particularem justitiam, quæ immediatè ordinet hominem ad bonum singularis personæ, ad eum modum, quo videmus, universalem causam physicam sufficere ad communem cum omnibus causis particularibus influxum, non item ad proprium cujusvis causæ particularis effectum producendum. *Justitia Particularis* est Virtus(putà Moralis sive AcquisitaMore,) servans Mediocritatem in Distribuendo & Commutando, inter Plus & Minus. In rerum quippè, tam distributione & compensationibus, quàm commutatione

&

& contractibus, adeoquè in omnibus, in quibus cuiquam injuria fieri potest, ita hominem instruit, ut nec de externis bonis, persuade præmiis, honoribus, muneribus, pecuniis, & id genus aliis, plus sibi sumat, & minus alteri relinquat. nec de malis, hoc est, oneribus & pœnis, minùs sibi, & plus alteri tribuat, quàm par est, jurequé illi debetur. Sed juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ. Genus Justitiæ Particularis est Virtus Moralis*, cùm & ipsa suo loco sit habitus electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter plus & minus pro medio, honestatem verò pro fine, bonumquè faciens habentem, opusquè ejus rectum & perfectum dans, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis. *Differentia Specifica Justitiæ Particularis explicitè sumitur ab Objecto ejus, & Adjuncto Officio circa illud Objectum, implicite verò à Subjecto*, positivè, inquam, ab illo, præsuppositivè verò ab hoc. *Objectum Justitiæ Particularis & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale & adæ-

quatum conflatur, *Objectum Internum Justitiæ Particularis non tam sunt Affectus, quàm Actiones Internæ. Nan tam Affectus*, quia proprium ejus officium non est, curare, ut homo v g non irascatur nimiùm, nevè metuat, ametvè voluptates plus, quàm par est, sed ut cuique præstet, quod est ei debitum, & quamvis ab hoc impediri possit per iram, timorem, amorem, voluptatum vel pecuniæ, tamen ejus non est hæc impedimenta per seipsam tollere, verùm aliarum virtutum præsidio. Omnes enim virtutes se mutuò juvant, dum quævis tollit aliarum quædam impedimenta. mansuetudo iram, fortitudo timorem, liberalitas amorem pecuniæ, temperantia cupiditatem voluptatum, quo iterum Stante, neque interim obstante, Saltem secundariò potis est justitia moderari affectus, quatenus videlicet illa moderatio affectuum est medium necessarium, ducens ad finem ipsius intrinsecum, qui est, reddere cuique ius suum, eò quòd possit quis velle moderari iram, amorem pecuniæ, timorem, ne cui faciat injuriam, exquè vi hujus intentionis possit sequi moderatio illorum affectuum, absque interventu intentionis, quæ sit alterius virtutis, quæ intentio nemi-
nem

nem lædendi utique formaliter actus justitiæ, procedens immediatè ex affectu ejus, non alterius aut alîus virtutis. *Non tam*, inquam, *Affectus, quàm Actiones Internæ*, à quibus omnem rectitudinem moralem accipiunt actiones externæ, quæ ut rectificari haud possint, nisi affectus sint rectificati, cum Thomâ, quia ex inordinatione affectuum provenit inordinatio in operationibus ad alterum, tamen ad justitiam rectificatio earum propriè & proximè non pertinet, nisi secundum quod unus homo coördinatur alteri, & non secundum quod homo aliqualiter disponitur in seipso ab affectibus, quæ rectificatio ut sic pertinet ad alias virtutes morales, occupatas circa affectus, secundum se inordinatos ad alterum, *Objectum Externum Justitiæ Particularis universè, vel Negativum est, vel Positivum: Objectum Externum Negativum Justitiæ Particularis sunt Bona Animi*, eò quòd in iis expetendis, nec peccare, nec aliis ea dispertiri queamus cum dispendio nostro. Ut enim ἡ πλεονεξία opposita interdum de omnibus bonis indifferenter dicatur, etiam animi, inquè bonam partem, ut si quis alium superare scientiâ aut virtute contendat, tamen qui alium superare hoc modo contendit, propriè

πλεονέκτης non est, quia in his bonis quis sibi plus, quàm ratio & æquitas postular, haud arrogat, in iisquè non est accipere medium & extrema, ita ut per abusum possint fieri mala; sicut honores & divitiæ, quibus homines possunt uti benè & malè, cùm sint simpliciter bona. *Objectum Externum Positivum Justitiæ Particularis sunt Bona Fortunæ sive Fortuita*, in quibus æqualitas aut inæqualitas, partim Arithmetica, partim Geometrica, locum habere potest, ceu sunt, honor, pecunia, salus, aliaquè, quæ uno nomine non possumus complecti, propterea, quòd multæ hujus materiæ sint partes, bona, inquam, fortunæ sive externa, quæ quidem simpliciter & de se bona, at non semper alicui. Etenim viro bono sunt bona, tanquam instrumenta beatitudinis, ad exercendas operationes virtutum, malo verò mala, propter illorum abusum, Quamvis namque propriè, nec bona sint, nec mala, tamen si alterutrum dicendum fiet, bona potiùs quàm mala appellantur, diversificanturquè secundum usum. Atque hæc non quovis modo in justitiâ spectantur, sed quatenus aliis jure debentur, secundum proportionis æqualitatem, hocquè ipso differt justitia à liberalitate, quæ & ipsa ver-

versatur circa bona fortunæ, nominatim pecuniam, sed indebitam, putà, ex debito civili. Est enim, cùm miseris ex debito succurri debet, etiamsi illud ex ipsorum debitis haud sit propriis, putà, morali, nos ad illum actum domi obligante, ex lege pietatis, charitatis, liberalitatis, aliarumque virtutum, ut in quibus omnibus sit aliqua debiti redditio, saltem ἀναλόγως dicta. *Officium Justitiæ Particularis circa suum Objectum est, Servare Medium*, cùm sit æqualitas, omnis autem æqualitas habeat duo extrema; excessum, inquam, & defectum, similiterqnè justitia, si minùs nomine, cùm ut sic unum tantùm agnoscat extremum, nempè injustitiam, minimùm re, saltem ratione, quo fit, ut non tam nominis sive appellationis sit habenda ratio, quàm rerum distinctarum & oppositarum, uno nomine significatarum, quæ sunt plus & minus, sive lucrum & damnum, se adinvicem habentia, velut duo vitia, vel saltem, ut duo termini proportionem constituentes. *At quale Medium, Simplexnè an Analogicum?* Non illud, sed hoc, quorum duorum alterum inter duos terminos vertitur, personam & rem, alterum inter quatuor ad minimum, ὃς καὶ ἃ, τίνες καὶ τὶ, per-

sonas, inquam, & res, cur, nisi quia justitia non spectat, quidnam sit commensuratum suo subjecto secundum rectae rationis regulam, ut reliquae virtutes, per comparationem ad ipsum hominem, ejusquè passiones & actiones, secundum diversas circumstantias, sed quid sit commensum & commensuratum rei, sive juri alterius, ut nec plus praestetur, nec minus, sed aequale, horumquè mediorum prius audit rationis, spectans, quidnam juxta dictamen rationis sit commensum subjecto; inexcedens indeficiensquè modum ejus, variabilequè pro varietate subjectorum, ita ut respectu unius sit medium & aequale, ad alterum verò nimium, ad tertium contrà parum, posterius autem rei, invariabile idemquè semper, qualecunque tandem sit subjectum, consistens in aequalitate rei ad rem, v. g, precii ad rem venditam, proportionisvè ad proportionem, nempè ut talis sit proportio inter munera & onera communia, qualis est inter personas, quibus haec distribuuntur, non excedens nec deficiens ad jus alterius. Res exemplo fiet planior. Ita in temperantiâ mediocritatem tenere est tantum comedere & bibere, quantum habito respectu personae, valetudinis, temporis,

loci

loci licet, quæ res cùm multis modis variet, à rectâ ratione decidi debet, enimverò in justitiâ, quamprimùm tantùm æqualitas rei adest, putà, ut nec plus nec minus sibi quis vendicet, quàm par est, mediocritas illa actuum confestim rationi consentit. Quòd si enim in distributione æqualitas sit meritorum & præmiorum, in commutatione verò exæquatio lucri & damni, nullam præterea conditionem personæ, loci, temporis, aut simile quid, à ratione addi necesse est. *Ut ita Medium Justitiæ Particularis sit Analogicum*, tum quia, ubicunque sunt quatuor termini, rationem inter se similem habentes, illic necesse est esse proportionem analogicam, & per consequens medium, quia quod ἀνάλογον, illud & medium, tum quia, ubi habetur & spectatur ratio dignitatis personarum & rerum, illic servatur analogia & proportio, sed in justitiâ, sive in justo particulari, habetur ratio dignitatis personarum sive meritorum, & rerum sive precii & valoris rerum, quæ aut distribuuntur, ut fit in justitiâ distributrice, aut commutantur, ut fit in justitiâ commutatrice, ergò! *Est autem Analogia sive Proportio* nihil aliud, quàm similitudo sive æqualitas rationum, ratio verò duarum ma-

gnitudinum ejusdem generis mutua quædam secundum quantitatem habitudo: Quo fit, ut, cùm quælibet proportio duas minimùm rationes habeat, & ratio quælibet duos terminos, omnis proportio quatuor terminos habeat ad minimum, sive disjuncta ea sit, qualis, si dicam, ut se habent 2 ad 4, ita 6 ad 12, quatuor terminis actu existentibus, sive conjuncta, qualis, si dicam ut se habent 2 ad 6, ita 6 ad 18, totidem terminis potentiâ existentibus, quia hic 6 bis sumuntur, suniquè consequens prioris, & antecedens posterioris rationis. Licet enim reipsâ hæc analogia consistere videatur duntaxat in tribus terminis, tamen potestate consistit in quatuor, quia unus terminus bis repetitur. Unde sole meridiano clariùs apparet, omnem analogiam in quatuor minimis consistere, hoc est, ad minimum in quatuor terminis, Dico, ad minimum. Potest enim habere plures terminos, ut, si dicam, sicut se habet hoc ad hoc, & hoc ad hoc, ita se habet illud ad illud, & istud ad istud. *Analogia sive Proportio universè vel Arithmetica est, vel Geometrica, vel Harmonica sive Musica. Analogia sive Proportio Arithmetica* est, cùm numeri ita progrediuntur, ut æqualis

qualis inter omnes distantia sit, ita, ut quantum primum superat secundus, tantum tertium superet quartus, qualis proportio in his numeris, 2. 4 6. 8. Quantum enim distant 2 à 4, tantundem absunt 6 ab 8, & ut binarius à quaternario superatur duabus unitatibus, ita senarius ab octonario. Observat ergò rationem quantitatis, id est, numeri intervallum, spectatquè æqualitatem, facta factis, res rebus, sine personarum delectu, exæquans. *Analogia sive Proportio Geometrica* est, quando ita numeri progrediuntur, ut quoties primus eorum continetur in secundo, toties tertius contineatur in quarto, & sic deinceps, qualis proportio in his numeris, 2 4. 6. 12. Sicut enim se habent 2. ad 4, ita se habent 6 ad 12. & ut binarius bis continetur in quaternario, ita senarius bis in duodenario. Observat ergò rationem qualitatis, hoc est, rationis comparationem, spectatquè similitudinem, non æqualitatem. *Analogia Harmonica sive Musica* est, quando ita numeri ordinantur, ut eadem sit proportio maximi ad minimum, quæ est differentia intercedentis inter majores duos, ad differentiam, quæ intercedit inter minores duos., qualis proportio in his numeris 3, 4. 6. Sicut enim senarius bis

continet ternarium, ita differentia, quæ est inter senarium & quaternarium, putà binarius, bis continet differentiam, quæ est inter ternarium & quaternarium, putà unitatem. Observat ergò rationem, tam quantitatis, quàm qualitatis, spectatquè tam æqualitatem, quàm similitudinem, adeoquè utramque analogiam conjungit, sicut justitia legem & æquitatem. Lex namque, quæ omnibus eadem in civitate, congruere videtur ad proportionem arithmeticam, æquitas ad geometricas rationes, justitia verò ad harmoniam, quòd, ut hæc ex arithmeticis & geometricis rationibus fit, ita justitia ex lege & æquitate coalescat. *Ubi notandum in transitu discrimen, Proportionem inter quod est, & Proportionalitatem.* Quod illud? Quòd illa sit comparatio duarum quantitatum inter se, λόγος Græcis, hæc illarum comparationum similitudo, λόγων ἰσότης Græcis, quomodò habitudo binarii ad quaternarium proporrio est, sicut & habitudo octonarii ad sedenarium, at similitudo utriusque habitudinis, sive comparatio habitudinis unius ad alteram, proportionalitas audit, utut hîc vocabulum utriusque sumatur promiscuè: *Connotandum deinde autem discrimen, Æqualitatem inter quod est, & Analogiam,* quas

quas inter hæc differentia, quæ inter speciem & genus. Etenim omnis analogia est æqualitas, non contrà omnis æqualitas analogia. *Notandum denique., cur doctrina proportionum hic explicetur.* Cur ergò, cur? Quia, etsi ea primò competit numero abstracto seu numeranti, tamen secundariò etiam competit numero numerato, hoc est, rebus moralibus, quæ & ipsæ quantæ, ratione numeri rebus inhærentis, non rerum tamen, neque tam per se, quàm ex eventu. *Subjectum Justitiæ Particularis, & ipsum, vel Negativum est, vel Positivum, Subjectum Negativum Justitiæ Particularis, præter Deum, & Seipsum, sunt Falsò sive Apparenter Justi Particulariter. Præter Deum*, in quem non cadit justitia particularis, nisi admodum abusivè, cùm in eum non cadat appetitus sensitivus, qui subjectum ut quo virtutum moralium, perfectiove accessoria per habitum acquisitum more, in moderamine rerum alienarum consistentem, cùm Dei sint omnia: *Et Seipsum*, cùm ergà se non magis quis possit esse particulariter justus, dum sibi jus suum tribuit, quàm clemens, dum sibi ignoscit, misericors, dum suis malis tangitur, liberalis, dum sibi quid donat, comis & urbanus, dum erga se est affabilis, secum-

què ludit & jocatur: *Falsò sive Apparenter Justi Particulariter*, quales, qui alicui jus suum tribuunt inscii, inviti, vel coacti, semelvé, iterumvé, in foro justitiæ distributivæ commutativævé, non semper. *Subjectum Positivum Justitiæ Particularis sunt Verè seu Γνησίως Justi, tam Distributivè, quàm Commutativè*, quales, qui non tantùm propensi sunt ad res justas distribuendas & permutandas, easquè distribuunt & permutant, sed distribuere ac permutare volunt, idquè constanter & perpetuò, hoc est, cùm semper, tum in omni re. *Sic descripta Justitia Particularis, quà Objecto, quà Subjecto, utroque tam Negativo quàm Positivo, differt cùm ab aliis Virtutibus Moralibus, tum a Justitiâ Universali: Ab aliis Virtutibus Moralibus* ratione medii, idquè duobus modis, semel, quòd aliæ virtutes medium obtineant inter duo distincta vitia, duasquè contrarias actiones, quarum una in excessu, altera in defectu peccat, justitia non item, cùm, qui v g defraudat alterum, unâ actione modum excedat, quia plus sibi sumit, quàm par erat, deficiatquè, quia minus alteri relinquit, quàm par erat, id quod in fortitudinis & liberalitatis extremis nullo potest fieri modo, cùm unicâ actione nemo simul queat
esse

esse audax & timidus, avarus & prodigus, iterum, quia medium aliarum virtutum rationis tantùm, justitiæ verò particularis medium etiam rei, quà distribuendæ, quà commutandæ, adeoquè utriusque, illius, putà rationis, propter diversitatem rationis, hujus, putà rei, propter diversitatem rei: *A Justitiâ hinc Universali materiâ*, quæ justitiæ particularis honores, pecuniæ, eaquè omnia, quæ ad vitam tuendam sunt necessaria, omninoquè ea, in quibus occupatur damnum & lucrum, justitiæ verò universalis non hæc sola & solùm, sed alia, de quibus nunquam Deo possumus dare nimium, quia huic omnia debemus, hominibus malis nunquam parum, quia his nihil prorsum debemus. *Extremum Justitiæ Particularis est Injustitia Particularis*, quæ nihil aliud, quàm nimium & parum, in bono & malo, contra æqualitatem analogicam. Nimium siquidem & parum sibi sumere solet injustus, boni quidem nimium, mali verò parum, in suo negocio in perpetuum, atque ad eundem semper modum, in alieno verò negocio non item. Neque enim semper eodem modo agit, sed prout occasio se tulerit, aut sibi visum fuerit, in eâdem causâ nunc plus huic, nunc minus, tribuens, spectatâ personarum & rerum digni-

dignitate, alteri v. g. majorem debito honorem, alteri minorem, deferens, & quidem semper, hoc est, semper plus uni, quàm alteri, neque eidem interim semper, cùm fieri possit; ut, cùm primo majorem honorem priùs, secundo verò minorem, tribuerit, vel in eâdem causâ, virtutisquè in æqualitate, posteriùs secundo majorem honorem tribuat primo.

CAPUT XLVI.

De Justitiâ Distributivâ, & hujus Extremo, id est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitiâ Prosopoleepticâ.

Justitia Particularis subdividitur in Διανεμητικὴν, *Distributivam sive Assignativam*, & Διορθωτικὴν ἢ Ἐπανορθωτικὴν, *Correctivam*, *Commutativam vulgò*. Cujus bimembris divisionis hæc ratio bimembris: Una, quòd justitia particularis versetur circa bona fortunæ, ea autem sint, vel publica, vel privata, cùmquè illorum nullum sit commercium, permutatio nulla, sed potiùs donatio ac divisio, hinc fit, ut, quæ in rebus publicis cernitur justitia, meritò Græce sit dicta διανεμητικὴ, quâ munera & onera distribuuntur inter eos, qui ejusdem civitatis, aut omninò societatis, vel familiæ, sunt participes, horum verò sit aliquod com-

commercium, hinc fit, ut, quæ in privatis rebus cernitur justitia, meritò Græcè sit dicta διορθωτικὴ ἢ ἐπανορθωτική, quâ fraudes privatorum in commerciis, rebusque contrahendis, corriguntur, illic spectatâ personarum ratione, hic rerum æquatione :. Altera, quòd eadem justitia particularis ordinet, vel totum ad partes, hoc est, id, quod commune, ad singulas personas, quem ordinem dirigit justitia distributiva, distributrix quæ est communium secundum proportionalitatem, vel partem ad partem, hoc est, unam privatam personam ad aliam, quem ordinem dirigit justitia commutativa. Sicut enim vel totum cum parte comparari potest, vel pars cum aliâ aliquâ parte totius, ita etiam vel Respublica cum privatâ personâ conferri potest, vel persona privata cum quâlibet alia personâ privatâ. In utroque ordine certa quædam officia continentur, quorum quæ à Republicâ singulis privatorum præstanda sunt, à justitiâ distributivâ, quæ singuli singulis præstare debent, à justitiâ commutativâ præscribuntur. Sed cominùs accedo ad Justitiam Distributivam. *Justitia Distributiva sive Assignativa si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*, denominationem suam accepit à distribuendo & assignando, quòd unicui-

unicuique suum distribuat & assignet, præmia pro meritis, Remunerativa inde, supplicia pro demeritis, Punitiva inde vulgò: *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic est Virtus, (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Distributione Rerum Communium, quæ inter eos dividi solent, qui unius Reipublicæ communione sunt conjuncti, servatâ Proportione Geometricâ: Vel sic: Justitia Distributiva est Virtus Moralis, quæ in distributione rerum externarum, pro factis, cuique id, quod suum est, tribuit, secundum proportionem geometriam. Juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere & Differentiâ Specificâ. Genus Justitiæ Distributivæ est Virtus Moralis*: Quâ de re? Quia enim & ipsa suo loco est habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter plus & minus pro medio, honestatem verò pro fine, bonum faciens habentem, opusquè ejus rectum & perfectum dans, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis. *Differentia Specifica Justitiæ Distributivæ explicitè sumitur ab Objecto ejus, Adjunctoquè Officio circa illud objectum, implicitè verò à Subjecto*, positivè,

vè, inquam, ab illo, præsuppositivè verò ab hoc. *Objectum Justitiæ Distributivæ & ipsum, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale atque adæquatum conflatur. *Objectum Internum Iustitiæ Distributivæ, non tam iterum sunt Affectus, quàm Actiones Internæ inde prodeuntes*, ob rationes explicatas capite præcedenti, hîc applicandas, ideoquè ἀπὸ κοινοῦ huc reperendas, cum duplici sepimento, altero respectu affectuum, altero respectu actionum internarum inde prodeuntium. *Objectum Externum Iustitiæ Distributivæ, universè vel Negativum est, vel Positivum. Objectum Externum Negativum Justitiæ Distributivæ sunt Præmia Privata, & Pænæ Privatorum, saltem ratione adæquationis.* Neque enim hîc agitur de privatorum præmiis inrer se, bonisvè privatorum dividendis, cùm nihil huc pertineat, nisi quod de communibus Reipublicæ bonis cuiquam debetur, & eátenus quidem, quâtenus quis est civis ejus, sicut nec alia onera, nisi quæ ratione totius communitatis omnes ferre tenentur, unde fit, ut quicquid non debetur cuiquam, tanquam de communibus bonis, neque ferendum imponitur, ut publicum & commune onus, illud non distributivæ sed

ſed commutativæ ſit juſtitiæ, ſive præmia ſpectes, ſive pœnas: Præmia, ut ſi Reſpublica ſtipendium alicui perſolvat, certiſvè beneficiis compenſet operam peculiariter ſibi præſtitam, putà, ſi rem in bello quis ſtrenuè geſſerit, conjurationem detexerit, conſiliumvè egregium principi dederit, non erit hic actus juſtitiæ diſtributivæ, verùm commutativæ, quia diſtributio eſt nuda attributio eorum, quæ totius ſunt ad partes, perſolutio autem ſtipendii, collatioquè hujuſcemodi beneficiorum, compenſatio quædam eſt & merces, nec ideò cuiquam contingit, quia civis eſt, ſed quòd labore & induſtriâ ſuâ id commeruit, quorſum vel in ariſtocratiâ luculentius beneficium conferri videas nonnunquam plebejo, quàm nobili, licet in diſtributione communium præmiorum nobilis plebejo illic præferri omninò debeat: Pœnas, quia harum irrogatio non diſtribuit malum aliquod omnibus civibus commune, quà civibus, quoniam non ut onera ita pœnæ inter cives omnes diſtribui ſolent, ùt ſinguli partem auferant, tanquam de publico, ejuſquè aliqua portio omnibus cedat, cumquè his irrogantur, non irrogantur quà civibus, cùm nemo ideò ſupplicio afficiatur, quia civis, ſed quia facinoroſus, nemoquè ut ſic in Republicâ

blicâ viveret impunis, (ut enim civis sit, qui punitur, non tamen ideò punitur, quia est civis, sed quia hoc aut illud deliquit, quod puniri Reipublicæ interest,) neque cùm irrogantur, secundum dignitatem seu personam & locum irrogantur, quem inter cives quis tenet, qui ut multis de causis cuiquam contingere potest, ita etiam merita hîc variant, quia secùs pro eodem delicto nobilis & liber acriùs, ignobilis & servus mitiùs puniendus esset, sicutqué onera opulentorum sunt majora, ita eorundem pœnæ majores esse deberent, sicutquè dignior est liber servo, libero servus mitiùs plectendus esset, contra Juris regulam. Quid multis? Ut inflictio pœnarum, vindicatioqué injuriæ factæ, ad distributivam justitiam pertineat ratione irrogationis & executionis, ipsa tamen adæquatio, spectans æqualitatem culpam inter & pœnam, ut quantò delictum est majus, tantò quis graviore pœnâ afficiatur, servatâ æqualitate, quæ est inter eum, qui injuriam fecit, & qui est passus, est actus justitiæ commutativæ, attendentis æquale, non secundum proportionem rerum ad personas, ut scilicet, sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur uni personæ, excedat rem, quæ datur alteri, sed secun-

dum

dum quantitatem, hoc est, æqualitatem rei ad rem. Nec est, quod dicas, eodem modo videri accipi medium in utrâque justitiâ, eò quòd dignitas diversarum personarum attendatur utrinque, ut, cùm graviùs punitur, qui percutit principem, aut consulem, quàm privatam personam. Respondeo cum Thomâ, in actionibus & passionibus conditionem personæ facere ad quantitatem rei, ideoquè majorem esse injuriam, si quis percutiat principem, quàm si privatam personam, & ideò conditionem personæ in justitiâ distributivâ attendi per se, in commutativâ verò, secundum quod res per hoc diversificatur per accidens, hoc est, quòd dignitas personæ hîc respicitur, id fit per accidens, cùm proportio Geometrica illam spectet per se, ut quæ simpliciter fundetur super comparatione personarum & præmiorum, non sic proportio Arithmetica, quæ non fundata super personarum dignitate, verùm nudâ adæquatione delicti & pœnæ, attentâ per accidens personâ, sive eâtenus tantùm, quatenus illa delictum & pœnam, vel aggravat, vel elevat. *Objectum Externum Positivum Iustitiæ Distributivæ sunt Res Communes, ad universam Rempublicam pertinentes*, ceu sunt, Pecuniæ & Reditùs Publici, Honores, Magi-

Magistratus, Dignitates, Victus Publicus, Sepultura Publica, duobus verbis, Munera & Onera Publica. Munera Publica. Quoto enim dignitatis gradu, v g, capitaneus est superior locum tenente, toto etiam dignitatis gradu, præda capitaneo assignata, superare debet prædam locumtenenti attributam. Onera Publica. Quoto namque divitiarum gradu superior est mercator sartore, toto etiam onera publica illius ampliora esse convenit hujus oneribus, Titii v g possidentis possessionem mille florenorum, Sempronii possidentis possessionem centum florenorum, illo in censu annuo pendente tres florenos, hoc tres asses. *Officium Justitiæ Distributivæ circa suum Objectum est, Tenere Medium inter Nimium & Parum, secundum Proportionem Geometricam*. spectatâ dignitate personarum, inter quas fit distributio, hoc est, loco quem inter cives quæque earum tenet, & precio rerum distribuendarum, non tam personas personis, aut res rebus, æquando, quàm personarum & rerum convenientiam efficiendo. Neque enim in justitiâ distributivâ absolutè spectatur, vel æqualitas personarum, quibus aliquid tribuendum, vel æqualitas rerum, quæ tribuuntur, sed cum certo quodam personarum ac rerum, si fas ita loqui,

loqui, coäspectu & corr领spectu, ut si arma Nestoris, habentia se ut 6, in præmium cedant Ajaci, habenti se ut 4, arma verò Achillis, habentia se ut 12, in præmium cedant Ulyssi, habenti se ut 8, quæ distributio ter justa, tum quia, ut Ajax se habet ad Ulyssem, ita se habent arma Nestoris ad arma Achillis, & Ajax cum armis Nestoris, ad Ulyssem cum armis Achillis, utquè idem Ajax se habet ad arma Nestoris, ita Ulysses se habet ad arma Achillis, & Ajax ac Ulysses ad arma Nestoris & Achillis inclusivè. Scilicet varii sunt personarum gradus atque ordines in civitate, constante non ex duobus medicis, sed ex medico & agricolâ, hoc & opifice, boni, inquam, & mali, docti & indocti, prudentes & fatui, nobiles & ignobiles, artium periti & imperiti, senes & juvenes, mariti & uxores, parentes & liberi, præceptores & discipuli, domini & servi, propinqui, amici, collegæ, cives, peregrini, quibus omnibus hæc justitia, pro dignitate virtute officio meritis, convenientia decernit, aliis pauciora, aliis plura, neque interim vel personarum ad se invicem, vel rerum, quarum & ipsarum infinita est varietas, inter sese, verùm personarum & rerum æqualitatem efficit, ita ut tota totis collata paria sint ratione proportionis geome-

metricæ. V g. Sit aliquò deducenda colonia, vel alio pacto Respublica condenda, cives in ordinem hæc justitia rediget hunc ad modum, ut magistratum capiant prudentiores & moderatiores, promiscua turba pareat, in pace gubernator sit Cicero, Marius belli dux, Scipio imperator, Lælius Senator, Cato quæstor, Aquilius prætor, studiorum magister Cratippus, Lysippus statuarius, Apelles pictor, Corydon rusticus, Jopas cantor, sique in castris ad Trojam dividenda sint fortitudinis præmia, eadem Justitia hæc ita dividet, ut maxima ferat Ulysses, Ajax mediocria, Thersites nulla, at, si eloquentiæ & prudentiæ præmia sint condividenda, Ulyssem & Nestorem cæteris præferet omnibus. Quod dixi, in justitiâ distributivâ non spectari absolutè, vel æqualitatem personarum, quid tribuendum advicem, vel æqualitatem rerum, quæ tribuuntur inter sese, verùm personarum & rerum coaspectum & correspectum, id de eorum genere est, quæ sæpè non semper tenent, vel ratione personarum, vel ratione rerum: Non ratione Personarum, quia civis dignitate longè inferioris meritum longè potest esse majus, quàm alterius dignitate longè superioris, minus verò meritum com-

compensare majori premio quàm majus, næ id injustum, hactenus æquiore existente distribuendi ratione, si præmia cum meritis conferantur, quàm si cum personis, insuper habito meritorum respectu, utut interim non infitear, meritorum & præmiorum æqualitatem semper attendi vix posse, sed minora merita superiorum ferè majoribus compensari præmiis, quàm vel majora inferiorum: Non etiam ratione rerum, quia, si merito unius, quod duplo majus est merito alterius, præmium detur duplo majus, hic actus non minùs justitiæ commutativæ, & fori commutativi, quàm si pro agro, qui duplo major & melior est alio agro, precium numeres duplo majus. Quòd si in usuris exercendis, quas nemo unquam à justitiâ commutativâ avellere est ausus, aliter quis tractet hominem mediocris conditionis, quàm mercatorem opulentum, aut in locationis argumento potiùs domum suam locet ejusmodi opifici, qui non ita facilè corrumpere possit suam domum, quàm alii, etiam hi actus sunt fori commutativi, non distributivi, licet sint conjuncti cum respectu aliquo personæ. Quare, cùm dicitur, in justitiâ distributivâ observari proportionem geometricam, habito respectu personarum, id ita

ita accipiendum, quòd sæpè, non semper, tum per se, non per accidens, id fiat, hoc est, cum distinctione respectus personarum, tanquam per se objecti ejus, & tanquam objecti illius per se accidentis ac circumstantiæ, qualis personæ conditio, quorum respectuum ille in solidum justitiæ distributivæ, hic etiam commutativæ. Justitia quippè distributiva, per se observat conditionem ac dignitatem personæ, quam habet in Republicâ, commutativa verò attendit solam rem & factum, ejusquè circumstantias, inter quas quoque est personæ conditio: Jam verò aliud persona, ut objectum. aliud ut accidens facti. *Subjectum Iustitiæ Distributivæ & ipsum, vel Negativum est, vel Positivum. Subjectum Negativum Iustitiæ Distributivæ præter Deum, & Seipsum, sunt Falsò sive Apparenter Iusti Distributivè, atque in Foro Distributivo. Præter Deum*, in quem non cadit justitia distributiva, nisi admodum abusivè, cùm in eum non cadat appetitus sensitivus, qui subjectum ut quo virtutum moralium, perfectioquè accessoria per habitum acquisitum more, in moderamine præmiorum & pœnarum, munerum & onerum, consistentem: *Et Seipsum*, cùm erga se non magis quis possit esse distri-

butivè justus, dum sibi jus suum tribuit, quàm clemens, dum sibi ignoscit, misericors, dum suis malis tangitur, liberalis, dum sibi quid donat, comis & urbanus, dum erga se est affabilis, secumquè ludit & jocatur, eò quòd actiones propriè sint suppositi, non partium ejus, quomodo v g hominem dicimus irasci, metuere, nere, ædificare, habentem animam, non animam ejus, & sic justitiam non esse nisi hominis ad hominem, seu personæ unius ad alteram, ergò non ad seipsam, ut voluit Plato, qui justitiam in concentu partium animæ, huicquè oppositam injustitiam in seditione ac dissidiis earum, positam esse contendit, inconsulto Apolline Philosophico, quia, etsi ab harmoniâ illâ partium, sive facultatum animi inter se, universa virtus, & per consequens etiam justitia, dependeat, sicut tamen una facultas alteri injuriam non facit, quando inferior rebellat superiori, ita nec justitia propriè est, cùm una earum cum alterâ concordat, sed cùm homo ipse, animo ita ad concordiam redacto, sic cum altero atque alio vivit, uti fas est, & leges jubent, nisi Platonem loqui velis de justitiâ internâ, Aristotelem verò de externâ, requirente diversa supposita, non diversas ejusdem suppositi partes: *Falsò sive*

Apparenter

Apparenter Justi Distributivè, sive, in Foro Distributivo, qualesqui, cùm duo sint æqualitatis genera, quorum alterum omnibus eadem, alterum pro dignitate suum cuique tribuit, posteriore repudiatâ æqualitate, quæ inter probos & improbos facit discrimen, alteram amplectuntur, cùm deberent cum Atheniensibus amplecti priorem, quæ pro suo quemque merito præmiis ac pœnis afficit, magistratus & honores non indifferenter omnibus, sed optimo cuique & aptissimo, in suo genere deferens, consuetudine mensæ Romanæ, in quâ, & de quâ, vesci soliti accumbentes, ex unâ lance, secundum proportionem geometricam, non Homericæ, in quâ sua cuique pars apponebatur secundum proportionem arithmeticam. *Subjectum Positivum Iustitiæ Distributivæ sunt verè seu* Γνησίως *Iusti Distributivè, sive in Foro Distributivo*, quales, qui contrà se habent, hoc est, qui, cùm duo sint æqualitatis genera, quorum alterum omnibus eadem, alterum pro dignitate suum cuique tribuit, priore repudiatâ æqualitate, quæ nullum inter probos & improbos facit discrimen, alteram amplectuntur cum Atheniensibus, quæ pro suo quemque merito præmiis & pœnis afficit, magistratus & honores non in-

indifferenter omnibus, sed optimo cuique & aptissimo, conferens in suo genere, consuetudine mensæ Romanæ, in quâ vesci soliti accumbentes, ex unâ lance quidem, verùm proportione geometricâ, non Homericæ, in quâ sua cuique pars apponebatur secundum proportionem arithmeticam. Secùs si fiat, locoquè proportionis geometricæ proportio arithmetica si teneat, næ turbatur domi Respublica, convenienter Euripidéo dicto, fide cujus

—— id perire plurimas urbes facit,
Si vir probus, fortiquè mactus pectore,
Non auferat plus. præmii quàm pessimus.

Quæ res movit Achillem Homericum, ut negaret, se militare posse sub Agamemnonis imperio, eò quòd æquali honore apud eum esset fortissimus quisque & ignavissimus, contra stilum justitiæ distributivæ, cujus vigore, quicquid præmii publico nomine confertur, id quemadmodum debetur cuique, quatenus est civis ejus Reipublicæ, ita etiam majus minusvè esse debet, prout majores aut minores cujusque in Republicâ sunt partes. Si enim debentur membris propter totum, seu, quatenus constituunt illud totum, næ tribuantur etiam iis oportet juxta proportionem, quam habent

bent ad totum, nisi quod hoc fallere dicunt, si quis accipiat stipendium, tanquam meriti sui mercedem. privatim sibi debitam, secundum proportionem arithmeticam, tantum scilicet, quantum meritus est ipso facto, non quantum in Republicâ locum occupat, ut si opilio, ob detectam conspirationem, publicis sumtibus alatur in prytanéo, cui, dum hic honos decernitur, non datur huic res omnibus civibus communis, neque distribuenda pro dignitate & loco, quem tenet in Republicâ, verùm pro meriti quantitate, adeoquè proportione arithmeticà, non geometricà. *Sic descripta Iustitia Distributiva, quà Objecto, quà Subjecto, utroque tam Negativo quàm Positivo, differt, næ differt, à Iustitiâ Commutativâ*: I. Functionibus sive Actionibus. Etenim justitiæ distributivę proprium munus, distribuere bona & mala inter eos, qui in civili societate versantur, pro dignitate conditione & merito personarum, v g, pecunias præmia honores, horumquè contraria, ignominias pœnas supplicia, justitiæ verò commutativæ munus, in rerum permutatione servare æqualitatem. II Subjecto Agente. Etenim justitia distributiva propriè pertinet ad eos, qui personam publicam gerunt, ut sunt magistratus, vel veri, vel similitudinarii,

Justitia verò commutativa ad privatos homines, qui inter se contrahunt. III. Objecto sive materiâ circa quam. Etenim justitia distributiva personarum rationem habet, distribuitquè bona & mala, præmia & onera, pro harum dignitate & conditione, justitia verò commutativa id operam dat, ut in commutationibus, pactis, rebusquè contrahendis, quisque suum consequatur, ita ut commutatione factâ utraque pars æqualem portionem habeat. IV. Objectorum formalibus, hoc est, modis tendendi in objectum. Etenim justitia distributiva tendit in rem quodammodò debitam, cùm non semper civi tantum detur pręmii, quantum suâ dignitate meretur, justitia verò commutativa tendit in rem tanquam absolutè debitam. V. Formâ seu mediocritate, tam absolutâ, quàm relatâ. Etenim justitia distributiva servat medium rationis, proportionemquè geometricam, respectu personarum, justitia verò commutativa medium rei, proportionemquè arithmeticam, respectu precii rerum, quæ permutantur. Contra Buridanum & Hobbium Anglos, qui negant, justitiam particularem esse unum genus, justitiamquè distributivam ac commutativam veras ejus species sub illo genere, sed justitiam dicunt esse speciem specialissimam tan-

tùm,

rùm, quæ propter diversas aliquas rationes, diversosqué considerandi modos, ita solummodò dispescatur. Utramque siquidem ęqualitatem in rebus studere efficere, tantumqué unam alium modum ejus observare quàm alteram, in rebus ad æqualitatem redigendis. Perspicuo errore. Etenim, sicut distributio à commutatione, & æqualitas geometrica ab arithmeticâ, non tantùm peculiari modo, atque harum proportionum usu, sed totâ specie, differunt, ita justitia, quæ circa distributionem versatur, ab eâ, quę circa commutationem. Licet interim libenter fatear, formalem rationem justitiæ distributivæ non tam positam esse in habitudine communitatis ad partes suas, ut vult Thomas, quàm in ordine ipsarummet partium inter se, servatâ æqualitate, non inter Rempublicam sive civitatem ipsâ, & ejus cives, sed inter ipsos cives tantùm, hoc est, partes civitatis ad se invicem. Nec est, quòd excipias, justitiam distributivam videri indifferre atque indistingui à commutativâ, saltem objecto sive pecuniâ, quare non differre specie! Verùm materiali scilicet, quod utriusque pecunia, non formali, quod in actu justitiæ distributivæ est pecunia, quatenus est præmium personæ debitum, eiqué proportionatum, in actu verò justitiæ commutativæ, quatenus

nus est precium æquale rei commutatæ. Sed nec est, quòd contrà moveas, unum & multa non diversificare speciem virtutis: At justitiam distributivam consistendo consistere in hoc, quòd quid detur multis, justitiam verò commutativam in eo, quòd quid reddatur uni: Ergò non videri esse diversas justitiæ species! Sed videri scilicet. Neque enim solùm distinguuntur secundum unitatem & multitudinem, verùm secundum diversam debiti rationem. Alio enim modo alicui debetur id, quod est commune, ut parti universitatis, alio id, quod est proprium, ex quovis alio debito. *Extremum Iustitiæ Distributivæ est inde & hinc, hinc & inde, Injustitia Prosopoleptica*, vitium quæ morale, quo præmia & pœnæ inæqualiter, hoc est, æqualia inæqualibus, aut æqualibus inæqualia distribuuntur, quando solvendum est debitum, tantum, v g, ubi præmiorum res agitur, datur Ajaci, quantum Achilli, ubi verò pœnarum res agitur, non tantum Sejo furi diviti, eum absolvendo, quantum Titio furi pauperi, eum suspendendo, quo jure, quâvè injuriâ. Ut ita committatur prosopolepsia, sive acceptio personarum, & injustitia prosopoleptica, (accepto nomine personæ non

non in prædicamento substantiæ, pro individuo per se subsistente intelligente atque incommunicabili, sed in prædicamento accidentis. pro qualitate personæ, sive conditione & statu, non histrionico & comico tamen, hoc est, ficto, sed vero,) tam in præmiorum collatione, si circumstantiæ, quæ sunt extra finem illum, ob quem conferuntur honores & præmia, respiciantur, ut si in honore doctoræ conferendo spectetur ætas personæ, cognatio, amicitia, non eruditio, quo in casu miscentur putamina baccis, ut est in proverbio, injuriaquè fit aliis, qui hunc honorem non sunt consecuti, æquè fortassis dignis, aut dignioribus, uti & iis, qui in eâdem honorum luce versantur, indignè ferentibus, sibi æquiparari sui dissimiles, & margaritas objici porcis, officiorumquè publicorum distributione, ut si oculus flectatur in conditionem officio nihil profuturam, vg, in opes, staturam, formam, quam in pœnarum irrogatione, cujus finis, exactè satisfacere parti læsæ, hoc est, actori, non attentis divitiis familiâ potentiâ rei, & si qua sunt generis ejusdem, quod ubi fit, justitiæ distributivæ lanx non est in æquilibrio, sed disquilibrio. Verùm dixerit quis, nomine personæ intelligi ejus dignitatem, hanc autem considerare,

hoc ipsum pertinere ad justitiam distributivam, quare huic malè opponi prosopolepsiam! Malè verò, nisi unâ cum eâ considerarentur conditiones, quæ non faciunt ad causam, quod προσωποληπτικόν. Dixerit deinde autem, in rebus humanis personas esse principaliores, quàm res, eò quòd res sint propter personas, non contrà: Rerum acceptionem non esse peccatum contra justitiam distributivam, quare nec personarum acceptionem! Nisi illæ ipsæ personæ attenderentur, cùm sint non causæ, ut causæ. Dixerit denique, in pœnis accipi personas sine peccato, quare acceptionem & acceptationem personarum non esse vitium oppositum justitiæ distributivæ! Nisi diversitas personæ, propter injuriam in majorem minoremvé personam commissam, faceret quantum ad hoc diversitatem rei, factumquè vel aggravaret, vel elevaret. *Scilicet* ἡ Προσωποληψία, *universè atque in genere*, est acceptatio personarum, sive in judicio, sive extra judicium, quâ æqualibus tribuuntur inæqualia, aut inæqualibus æqualia, propter personarum respectum. *Estquè vel Extrajudicialis*, *vel Judicialis*. Προσωποληψία *Extrajudicialis* est personæ acceptatio, quæ fit extre judicium. *Estqué*, *vel Dilectionis*, *vel Electionis*, *vel Donationis*. Προσωποληψία.

λη̂ψία *Dilectionis* est, quâ una persona præ alterâ diligitur, v g, Joseph & Beniamin à Jacobo Patriarchâ præ reliquis filiis, Hephæstion & Craterus ab Alexandro Magno præ aliis ducibus, alter ut φιλαλέξανδρος, alter ut φιλοβασιλεύς. Προσωποληψία *Electionis* est, quâ una persona alteri præfertur, ob conditionem aliquam, vel internam, v g sapiens Lælius Ennio poëtæ vel externam, v g, Venus Junoni, ille ob sapientiam, hæc ob venustatem. Προσωποληψία *Donationis* est, quando uni personæ plus donatur, quàm alteri, v g, Homero, quàm Chærilo Homerizanti. Atque hæc προσωποληψία, uti non semper illegitima, ita, de eâ cardo quæstionis hîc non vertitur. Προσωποληψία *Iudicialis* est personæ acceptatio, quæ fit in judicio. *Estquè vel Legitima, vel Illegitima.* Προσωποληψία *Iudicialis Legitima* est personæ acceptatio in judicio, quâ personis æqualibus tribuuntur inæqualia, vel inæqualibus æqualia, sed propter conditionem factum vel aggravantem, vel elevantem, quomodo homo peccans ex scientiâ, & alius peccans ex ignorantiâ, hactenus æquales, quatenus uterque peccat, verùm si diversum peccati utriusque gradum consideres, tunc sanè magis peccat ille, qui ex scientiâ peccat, quàm qui ex ignoran-

tiâ, majoriqué ideò pœnâ dignus, vel ipsius servatoris effato, dicentis, servum voluntatem domini scientem, neque facientem, pluribus plagis cædendum. Προσωποληψία *Iudicialis Illegitimâ* est acceptatio personæ in judicio, cùm æqualibus in causâ litis à judice tribuuntur inæqualia, vel contrà inæqualibus æqualia, hoc est, cùm ex pariter reis unus damnatur, alter absolvitur, propter externam circumstantiam, quæ ad litem non facit, putà, quòd unus sit dives, alter non item, unus dederit munera, alter non item, unus polleat autoritate, vel gratiâ, alter non item, quæ ipsissima injustitia prosopoleptica.

CAPUT XLVII.

De Justitiâ Commutativâ, & hujus Extremo, id est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitiâ Commutativâ.

Iustitia Commutativa sive Correctiva, si Nomen sive Nominalitem ejus spectes, hoc nominis accepit à commutando & corrigendo, ab illo materialiter, eò quòd versetur circa commutationes & contractus, mutuasquè obligationes moderetur, ab hoc formaliter, eò quòd, si quid in rebus contrahendis peccetur, id

id corrigat, quò pravitas & fraus omnis absit, damnumquè farciatur, unâ parte tantum dante secundum æqualem compensationem, quantum ab alterâ gestit accipere; ne, si altera usque minus acciperet in commutatione, ad paupertatem redigeretur, commutatioquè minùs foret diuturna. *Sin Rem sive Realitatem*, ut sic est Virtus, (purà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Contractibus, secundum Proportionem Arithmeticam. Juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ. Genus Justitiæ Commutativæ est Virtus Moralis*: Quâ de re? Quia enim & ipsa suo loco est habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio, mediocritatem inter plus & minus pro medio, honestatem verò pro fine, bonum faciens habentem, opusquè ejus rectum & perfectum dans, quod proprium virtutis moralis: Ubi autem ingredientia virtutis moralis, ibi & ipsa virtus moralis. *Differentia Specifica Iustitiæ Commutativæ explicitè sumitur ab Objecto ejus, Adjunctoquè Officio circa illud Objectum, implicitè verò à Subjecto*, positivè, inquam, ab illo, præsuppositivè verò ab hoc. *Objectum Iustitiæ Commutativæ & ipsum, vel Internum est*,

est. vel Externum, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale atque adæquatum conflatur. *Objectum Internum Iustitiæ Commutativæ, non tam iterum sunt Affectus, quàm Actiones Internæ inde prodeuntes*, uti notatum capite præcedenti, præquè declaratum præquè cedenti. *Objectum Externum Iustitiæ Commutativæ universè, vel Negativum est, vel Positivum. Objectum Externum Negativum Iustitiæ Commutativæ sunt Contractus Publici, & Pœnæ Publicæ. Contractus Publici*, tam quoad formam, cùm sint actiones publicæ, non privatæ, quàm materiam, quæ & ipsa publica, hactenus fori distributivi, non commutativi, cui subjiciuntur tantùm res, in quas juris quidquam alicui est, alio quàm publico nomine, ut si Respublica quid emat à privato, quo in casu illa cogitur solvere precium juxta proportionem arithmeticam, æquè atque quilibet privatus, quoniam æquè contrahit ac privatus, uti &, si solvat stipendia pro præstito servitio iis, quorum operam peculiariter conduxit, quoniam omne salarium compensatio quædam est operæ, quam ex contractu quis præstat, cùm distributio publicorum bonorum nec ex contractu fiat, nec ad quidquam compensandum, verùm ideò, ut ejus, quod jam

antea

antea est communitatis totius, singuli partem possideant, Dico, alio quàm publico nomine, ut si Respublica contrahat fœdera, vendat regalia vetera, vendat privilegia atque officia publica, reditus publicos, quæ venditio actus justitiæ distributivæ esse videtur, non commutativæ, cum præcisione, sive in rigore. *Pœnæ hinc Publicæ*, centesimatio, vicesimatio, decimatio, exautoratio integræ legionis, pœna universitatis in qualitate universitatis, ceu sunt, multæ, publicatio bonorum, privilegiorum ademtio, adæquatio murorum, reductio & redactio urbis in agrum pascuum, supplicium, sumtum vel de universis, vel de solis capitibus, hoc est, ducibus & ductoribus, qui actus justitiæ distributivæ, si minùs ratione adæquationis, spectantis æqualitatem culpam inter & pœnam, quæ fori commutativi, minimùm ratione execntionis quæ fori distributivi. *Objectum Externum Positivum Iustitiæ Commutativæ sunt Res Privatorum, sive Contractus, qui inter Privatos ineuntur*, vocabulo contractus sumto, non strictè, pro unâ contractuum specie, obligatione purà ultrò citroqué factâ, ita ut utrinque nascatur obligatio, ceu sunt, emtio & venditio, conductio & locatio, quomodo qui vendit, ex eo, quòd vendidit

didit, obligatus est ut tradat, sicut & qui locat, ex eo quòd locavit, altero obligato, ut precium persolvat, id quod in aliis contractibus non ita fit, v g, in mutuo, in quo, petens centum coronatos mutuò, est obligatus ut reddat, mutuò dans non item, stipulationequè, in quo contractu, promittens centum coronatos, est obligatus ad persolvendum, alter non item, non, inquam, strictè pro obligatione ultrò citroquè factâ, permutationevè, cùm res pro re datur, equus pro bove, commerciovè, inter v g furem, & eum, cui quid furto aufertur, raptorem, & cui quid eripitur, inter quos nemo facilè dixerit intercedere commercium, nisi latiùs vocabulum commercii, quàm vulgò, accipiat, sed latè & laxè, pro quâlibet obligatione, sive ex Contractu nascatur, sive ex Quasi-Contractu, sive ex Maleficio, sive ex Quasi-Maleficio, quò & Jurisconsultos contractus vocabulum videas interdum porrigere, cùm contrahere fraudem, contrahere delictum, dicunt. *Ut ita Contractus, circa quos vertitur & versatur Justitia Commutativa, tanquam circa Objectum Externum Positivum, sint Contractus Voluntarii, vel Quasi-Voluntarii, & Involuntarii sive Inviti, vel Quasi-Involuntarii sive Quasi-Inviti,* Con-

Contractus Voluntarii dicuntur obligationes ex contractu, cùm utrinque est animus contrahendi, resqué aliqua ex consensu utriusque partis transfertur in alienam personam, cum ratione debiti. Dico, cum ratione debiti. Si enim omninò transferatur, non modò quoad usum, sed etiam quoad dominium, absque ullâ spe compensationis, actio liberalitatis erit, non justitiæ commutativæ. Fiuntquè vel Re, vel Verbis, vel Litteris, vel Consensu. Contractus Re perficiuntur, qui non consistunt in conventione solâ, sed requirunt rei traditionem, ceu sunt, Mutuum, quò referenda est Usura, Commodatum, Depositum, Pignus. Contractus Verbis perficiuntur, qui requirunt certam verborum formulam, ceu sunt, Sripulatio, Promissio, Fidejussio. Contractus Litteris sive Scripturâ perficiuntur, qui ante scripturam rati non habentur, nec nisi confecto à notario publico instrumento, ceu sunt, Nomina. Contractus Consensu perficiuntur, qui non requirunt certam verborum formulam, & in quibus sufficit consensus, quovis modo exterius utrinque explicatus, ceu sunt. Emtio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Mandatum. Numerum hunc contractuum voluntariorum colligit sic

Tho-

tutes & vitia dicuntur esse voluntaria antecedenter, eò quòd horum principium sit voluntarium, necessaria verò consequenter, ob habitum constitutum. Unde illa famosa Ictorum: Contractuum initia inspicienda: Voluntatis est contrahere, necessitatis contractum expetere: Voluntatis adire arbitrum, necessitatis sententiâ ab arbitris dictâ stare. *Contractus Quasi-Voluntarii* dicuntur obligationes ex quasi-contractu, quales, qui nascuntur ex Negociorum Gestione, Rei Communione, Tutelâ, Aditione Hereditatis, Solutione Indebiti. *Contractus Involuntarii sive Inviti* dicuntur obligationes ex maleficio, fiuntquè unâ parte invitâ, non ratione ejus, qui eos suscipit, seu agentis, qui sciens & volens agit, sed ratione ejus, in quem suscipiuntur, seu patientis, cui vel ignoranti vel nolenti fit injuria. Suntquè vel Clandestini, vel Violenti. Contractus Involuntarii Clandestini dicuntur, qui per dolum nolentibus inferuntur, ceu sunt, Furtum, Adulterium. Veneficium, Lenocinium, Servi Alieni Corruptio, Cædes Dolosa, Falsum Testimonium. Contractus Involuntarii Violenti dicuntur, qui per vim nolentibus inferuntur, ceu sunt, Verbera; Vincula, Cædes, Rapina, Mutilatio Corporis, Convicium,

cium, Contumelia. Etiam hunc numerum contractuum involuntariorum colligit Thomas nonnihil mutatis mutandis. *Lædi*, inquit, quis poteſt, vel in re ſuâ, vel in perſonâ, idquè vel occultè, vel manifeſtè. Ubi occultè res alterius accipitur, furtum eſt, ubi manifeſtè, rapina. Perſona alicujus læditur, vel ratione incolumitatis, vel ratione dignitatis, & rurſus, vel ipſa in ſe, vel in perſonâ aliâ, certo modo ſibi conjunctâ. Cùm læditur perſona ratione incolumitatis occultè, eſt cædes doloſa, veneficium, aut fraudulenta percuſſio, cùm manifeſtè, cædes violenta, incarceratio, verberatio, mutilatio. Cùm *læ*ditur perſona ratione dignitatis occultè, eſt falſum teſtimonium, aut detractio, cùm manifeſtè, falſa accuſatio, aut convicium. Cùm quis porrò læditur in perſonâ conjunctâ, eſt adulterium, ſeductio ſervi, & ſi quid his ſimile. Hactenus iterum Thomas. Omnes hi contractus involuntarii vocantur rectè, quia unâ parte invitâ fiunt omnes. Quod enim v g in furto clam transfertur res ab uno ad alterum, eo tantùm fit volente, qui furatur, non cui furtim aut furto res ſurripitur. Idem de reliquis judicium. *Contractus Quaſi-Involuntarii ſive Quaſi-Inviti* dicuntur obligationes ex quaſi-maleficio,

maleficio, quales, qui nascuntur ex Venæ Sectione & Medicamenti Exhibitione Malâ magis quàm Malitiosâ, adeoquè per Vitium Artis potiùs quàm Moris, Domesticâquè Dejectione vel Effusione, per Incuriam magis, quàm Injuriam. *Solent hic loci movere scrupulum Moralistæ incidenter, an ad unam speciem justitiæ pertineant omnes hi contractus, an verò ad diversas ejus species?* Ego cum illis facio, qui affirmant prius, motus hoc argumento, quia in cunctis una & eadem ratio capiendi medium, omnesquè unâ & eâdem æqualitate ac proportione mensurantur. Quanquam enim duæ sint partes justitiæ commutativæ, una, quæ versatur circa commutationes voluntarias, altera, quæ circa invitas, non tamen ideò duæ sunt ejus species, cùm tam in voluntariis quàm invitis commutationibus, una & eadem planè sit ratio debiti, unus quin etiam modus res ad æqualitatem redigendi, una quoque ratio formalis justitiæ utrobique, utut interim ratione materiæ aliqua sit diversitas, cùm in voluntariis commutationibus tantùm res compensetur, in invitis damnum pariter & offensa, eo, quod hîc nimium, existente lucro, ut si quis pulsaverit, quod parum, damno, ut si quis pulsatus fuerit. Ubi in

transi tu

transitu notandum, lucrum hîc dici actionem, damnum passionem. Notandum deinde autem, lucrum habere rationem pluris, damnum minoris, sumtum contrariè. Etenim in bonis lucrum quidem pluris habet rationem, damnum minoris, in malis contra lucrum minoris, damnum pluris. Qui enim plus mali habet, næ ille damnum, qui minus. lucrum sentire videtur. Notandum denique, illud lucrum & damnum tantùm, quod fit hominibus invitis, cumquè alterius injuriâ est conjunctum, esse hujus loci, non item lucrum, quod quis capit ex re aliquâ nemine invito, damnumvè, quod quis patitur ultrò, sive suâ sponte. *Officium Justitiæ Commutativæ circa suum Objectum est, Tenere Medium inter Nimium & Parum, tam in Contractibus Voluntariis, quàm in Involuntariis sive Invitis, secundum Arithmeticam Proportionem, nullo habito personarum respectu per se, cùm damni tantùm differentiam intueatur, personis verò utatur ut æqualibus. In Contractibus Voluntariis.* Quòd si enim v g arma, vinum, frumentum, vestes, & aliæ res, vendantur, justitia commutativa mercis & precii summam efficit æqualitatem, secundum proportionem arithmeticam, quicunque tandem sint contrahentes, consul

consul an lictor, dives an pauper, amicus an inimicus, cognatus an alienus, civis an hospes. Sic quippè τὸ ἴσον retinebitur, neuterquè contrahentium plus vel minus habebit, prout etiam habere debent, ne si merx precio non responde-ar, altera contrahentium pars ad inopiam redigatur, commerciaquè tollantur. Scilicet omnis justitia consistit in aliquâ rerum æqualitate, æqualitas autem ista, vel ex dignitate personarum æstimatur, vel simpliciter tantùm ex rerum ipsarum modo & mensurâ, ut hoc loco. Cùm enim commutationes ideò institutæ non sint, ut de communibus bonis ultrò civibus præmia persolvantur, utique nec personarum dignitas in iis primò ac per se attendetur, quare nec æqualitas, quæ ex dignitate personarum æstimatur, quod si ita, relinquitur, ut observetur altera æqualitas, quæ ex rebus ipsis tantùm petitur, quomodo qui ædes v g vendit, tantum pecuniæ ab emtore expectat, non quanto ille fortè sit dignus, si dignitatem ejus positivam inter cives spectare velis, sed quantum compensare ædes illas potest, nec pecuniam emtor erogat alio fine: Sed &, si tantam injuriam facit probus, cùm quem defraudat, quantam im-

improbus, tum utique iniquitas rei illius non ex personâ pensatur, sed ex facto, quicquid interim de personarum æqualitate aut inæqualitate fiat. *In Contractibus hinc Involuntariis sive Invitis.* Quòd si enim, (ut maneam in hoc circo & circulo,) homo aliâs probus, si non moraliter, saltem civiliter, defraudet bipedum nequissimum, non minùs nec minor hæc fraus & injuria, quàm si pessimus defraudet optimum, ideoquè ex eo res pœnâ digna, non minùs punienda in istâ personâ, quàm in alterâ. Si enim personæ dignitas non vetat, quò minùs sit delictum, quod delictum aliàs per se est, nec eadem impedire potest, ne pœnâ sit dignum, quam aliâs commereretur, servatâ proportione arithmeticâ culpam inter & pœnam, tum quia pœnæ non sunt aliquid, quod sub distributionem cadit, ut pecunia publica, aut agri ab hostibus capti, cùm supplicia publica non ita dividantur inter cives, velut pecunia è thesauro civitatis depromta, ut singuli cives, pro ratione loci, quem in eâ tenent, partem aliquam auferant, cùm nemo puniatur, quia civis est, ut partem pecuniæ vel agri ideò accipit, quia civis est, quoniam aliâs omnes & singuli cives forent puniendi, & ideò quidem, quòd sunt cives, tum

quia

quia pro eodem delicto sic nobilis & liber acriùs, ignobilis contrà & servus, mitiùs puniendi essent, eò quòd illi sint digniores his, contra juris regulam, & stilum curiæ, sicutquè opulentorum onera majora sunt, ita pœnæ eorundem majores esse deberent, tum quia proportio geometrica heic benè verò se habere potest, neque interim satisfieri justitiæ, idquè ob defectum proportionis arithmeticæ. Fac enim, quatuor esse, quorum primus commiserit stuprum, secundus adulterium, tertius incestum, quartus sodomiam, primus multetur uno floreno; secundus duobus, tertius tribus, quartus quatuor, hîc tantum cuique datur, quantum debetur in ordine ad alterum, geometricequé ut sic benè se res habet, neque interim justitiæ est factum satis, quæ atrociores pœnas exigit secundum proportionem arithmeticam, distinctis inter se delictis, proqué levitate & gravitate eorum his adæquatis. Objicis loco pessuli hunc obicem: Si in adæquatione pœnarum, quæ fori commutativi, res solæ simpliciter atque absolutè forent attendendæ, secundum proportionem arithmeticam, quæ ex rebus ipsis tantùm petitur, nullusquè esset attendendus personarum respectus, quà lædentium, quà læsarum, tunc

pari afficiendum pœnâ esse, qui alienam uxorem & qui ancillam, violavit, qui cum virgine & viduâ, homine & bruto, rem habuit, patrem & servum occidit, privatum & magistratum contumeliâ affecit, aliumvè cognatum, cùm tamen, secundum Arcadii & Honorii constitutionem, legemquè Pompejam de sicariis, sint graviùs puniendi. Removeo eum hoc repagulo, non debere videri mirum, inæquales pœnas esse, cùm delicta sunt inæqualia, propter circumstantias aggravantes vel elevantes factum, inter quas est etiam personæ conditio, sumtæ non ut objectum, sed ut accidens facti. Etenim, qui punire vult, primò ac per se respicit delictum, deinde animum defigit in circumstantias, loci, temporis, personæ, quæ deliquit, & contra quam delictum est, ex quibus aggravatur aut elevatur delictum, demùm pœnam adæquat delicto: Quid mirum, inquam, inæquales pœnas esse, cùm delicta sunt inæqualia, cùm res etiam, quæ venduntur, uno precio non vendantur, quoties inter se inæquales sunt, neque leges unam & eandem pœnam statuant parricidæ, & simplici homicidæ, ei, qui ex errore hominem interfecit, & qui ex malitiâ, vindictævè cupiditate, qui per ebrietatem, & qui per *lasciviam*, distinguentes

guentes id., quod ultrò factum est, à sciente & volente, extra moderamen inculpatæ tutelæ, ab eo, quod invitè, atque intra moderamen inculpatæ tutelæ, quod ex proæresi, & sæpè, ab illo, quod semel, atque ex imbecillitate, quod dum faciunt leges, non pœnam, scripto statutam in abstracto, in concreto personis attemperant, proquè earum conditione exasperant vel mitigant, verùm delicta inter se condistinguunt. Quòd si pro ratione personarum forent constituendæ pœnæ, non constitueretur alia homicidæ, alia parricidæ, alia furi, alia proditori, sed alia magistratui homicidæ, parricidæ, furi, proditori, alia subdito, si quid horum perpetrâsset, nobili alia, ignobili alia, quia magistratum, subditum, nobilem, ignobilem esse, personam in Republicâ facit, homicidæ autem, parricidæ, fures, proditores, non à personâ & dignitate, quam gerunt in Republicâ, sed à delictis, quæ commiserunt, sic appellantur. Ut rem mittam in compendium verborum: Quemadmodum, si merx sit major, majus quoque debet esse precium ejus, ita si major culpa, quæ septem modis augetur, personâ, loco, tempore, quantitate, qualitate, causâ, eventu, major quoque debet esse pœna. *Subjectum Justitiæ Commutativæ & ipsum*

psum. vel Negativum est, vel Positivum. Subjectum Negativum Justitiæ Commutativæ, præter iterum Deum, & Seipsum, sunt Falsò sive Apparenter Justi Commutativè, sive in Foro Commutativo. Præter Deum, in quem non cadit justitia commutativa, nisi admodum abusivè, cùm in eum non cadat appetitus sensitivus, qui subjectum ut quo virtutum moralium, perfectioquè accessoria per habitum acquisitum more, in moderamine contractuum consistentem; cùm Deo indignæ sint actiones rerum contrahendarum, ut cujus antea sint omnia. *Et Seipsum*, cùm erga se non magis quis possit esse commutativè justus, dum sibi jus suum tribuit, quàm clemens, dum sibi ignoscit, misericors, dum suis malis tangitur, liberalis, dum sibi quid donat, comis hinc & urbanus, dum erga se est affabilis, secumquè ludit & jocatur: *Falsò sive Apparenter Justi Commutativè, sive in Foro Commutativo*, quales, præter eos, qui per leges nondum possunt contrahere, nisi consensu eorum, sub quorum & in quorum potestate sunt, illi, qui, cùm debeant in contractibus observare æqualitatem rerum, hoc est, id, quod cuique debetur ratione ipsarum rerum, quas commutant, quicquid interim de personarum æqualitate vel in-

inæqualitate fiat, observant æqualitatem personæ, sive, quod personis commutantibus aptum est, iisquè compétit, si dignitatem earum inter cives & concives spectes, tantum pecuniæ ab emtore expectantes, si vendiderint ædes, quanto ille dignus fortè, si dignitatem ejus positivam inter cives consideres, quod γεωμετρικὸν, non quantum nummorum ædes illas compensare valet in contractu, quod ἀριθμητικὸν. Vapulat hoc nomine apud Xenophontem Cyrus Junior adhuc puer, quòd geometricâ proportione usus esset in argumento arithmetico. Cùm enim duos fortè vidisset pueros, longiorem alterum, breviorem alterum, huncquè vidisset longiore tunicâ amictum, illum verò breviore, fertur ascitus in arbitrum tunicas permutâsse, & longiorem longiori, breviorem breviori assignâsse, malè, quoniam hæc analogia non habet locum in bonis ac possessionibus privatorum. *Subjectum Positivum Justitiæ Commutativæ sunt Verè seu* Γνησίως *Justi Commutativè, sive in Foro Commutativo*, quales civiliter omnes illi indifferenter, absque ullo status & conditionis discrimine, qui gaudent administratione bonorum suorum, ita ut de his disponere possint, moraliter verò, qui in commutatione & contractibus, quà voluntariis, quà in-

voluntariis, observant æqualitatem rerum, non personæ, nisi fortè per accidens, & ex eventu, quod ajunt, loquendo utrinque de privatis. *Sic descripta Justitia Commutativa, quà Objecto, quà Subjecto, utroque tam Negativo quàm Positivo, differt næ differt à Justitiâ Distributivâ, Talionequè Absolutâ. A Justitiâ Distributivâ differt*: I. Functionibus sive Actionibus. Etenim justitiæ commutativæ munus, in rerum permutatione servare æqualitatem, justitiæ contrà distributivæ munus, distribuere bona & mala inter eos, qui in civili conversatione versantur, II. Subjecto Agente. Etenim justitia commutativa pertinet ad privatos homines inter se invicem contrahentes, distributiva verò ad eos, qui personam gerunt publicam, vel verè, vel κτ̀ μεταφορὰν, similitudinariè. III. Objecto, sive Materiâ circa quam. Etenim justitia commutativa id operam dat, ut in commutationibus, rebusq; contrahendis, quisque privatorum suum consequatur, ita ut commutatione factâ utraque pars æqualem portionem habeat, justitiâ distributivâ contrà habente rationem personarum, hisquè domi distribuente bona & mala, hoc est, præmia & onera, pro harum dignitate & conditione in Republicâ. IV. Objectorum Formalibus, sive Modis tendendi

di in Objectum. Etenim Justitia commutativa tendit in rem, tanquam absolutè debitam, Justitia verò distributiva in rem quodammodò debitam. V. Formâ seu Mediocritate. Etenim justitia commutativa servat medium rei, proportionemquè arithmeticam, respectu precii rerum, quæ permutantur, meramquè persequitur æqualitatem, nulla habitâ ratione similitudinis rationum, comparatis inter se excessibus lucri & damni tantùm, justitia verò distributiva servat medium rationis, proportionemqué geometricam, intuitu personarum, eò quòd facultatum publicarum distributio eâ ratione fiat semper, quam inter se habent τὰ εἰσενεχθέντα, ingredientia, putà, merita officia atque operæ, divisis facultatibus publicis, prout hæc se habent, probum inter & improbum, civem & peregrinum, tribunum & militem. *A Talione hinc Absolutâ differt, ut quæ diversa sit ab omni Justitiâ, quà Distributivâ, quà Commutativâ. A Justitiâ Distributivâ diversa est Talio Absoluta*, quia in eâ habetur ratio personarum, secundum proportionalitatem rerum ad personas, ut quò quisque, qui læditur, est major dignitate aut meritis, eò sit is, qui lædit, graviùs puniendus, graviùs v g is, qui principem aut magistratum, patrem aut

ſutor, ſiquè faber ædificaverit medico domum, quomodo is viciſſim ei ædificabit domum? Sed nec in Contractibus Invitis. I. Quia inæqualitas perſonarum inducit inæqualitatem in delictis ejuſdem generis, nec permittit, ut idem quis ſpecie patiatur, quod fecit, recipiendo æqualia, cùm fieri poſſit, ut quis percuſſerit hominem in magiſtratu conſtitutum, quo in caſu non ſatis erit, ſi repercutiatur percuſſor, verùm pœnas ille mihi luet, & plus patietur, fieri quin poteſt, ut in magiſtratu conſtitutus percuſſerit aliquem ex privatis, qui propterea non ocyùs debet repercuti, pativè eadem, ob geminam rationem, ſicut nec, ſi vel liber ſervum percuſſerit, dominuſvè famulo dederit alapam, oculumvè quis alteri effoderit, quibus in caſibus non datur actio ad paria, ob minorem paſſionem, majoremvè actionem ejuſdem ſpeciei, iniquum quoque ſit ex hoc capite, ei, qui conviciatur alicui intra privatos parietes, idem referri convicium in theatro, conſeſſuvè publico. Ut ita imperitè, dicam, an impiè, apud Ariſtophanem filius patrem, à quo percuſſus fuerat, contrà percutere voluerit, ſecundum naturam talionis abſolutæ, importantis æqualem recompenſationem paſſionis ad actionem præcedentem.

II Quia multum intereſt, ſpontè quis, an per ignorantiam, malitiosè àn incautus, percuſſerit alium, quibus in caſibus ſi talio abſoluta haberet locum, tunc quod per imprudentiam vel incuriam eſt factum, retaliari deberet per eaſdem. Quonam igitur modo imprudentem vel incautum poterit imitari, qui in exequendâ talione, non licentiæ jus haber, nedum decentiæ, ſed imprudentiæ & negligentiæ, cùm ictus fortuitus & incautus non cadant ſub ejuſdem talionis ſimilitudinem cum conſulto & cauto. Taceo, quòd acerba atque inhumana talionis ſic futura ſit executio. Etenim, cui membrum ab alio ruptum eſt, ſi ipſi iterum rumpere membrum per talionem abſoluram quis velit, quæro primùm, an efficere poſſit rumpendi pariter membri æquilibrium? Deinde, ſi quid plus aliterve fuerit commiſſum, annon res fiet ridiculæ atrocitatis, & annon contraria orietur inde actio mutuæ talionis, adoleſcente ſub manu infinitâ quâdam reciprocatione talionum? III. Quia talionis ea eſt natura, purà abſoluræ, ut quibuſdam rebus penitùs adhiberi nequeat, ſaltem nequeat ad vivum, exactè, atque in rigore, cùm multa ſint delictorum genera, quæ ſine turpitudine retaliari haud poſſunt, v g., adulterium, fur-

furtum, perjurium. Unde concludendo concludo, fide dictorum, utut talio jus sit, inquè rebus contrahendis suo loco sit necessaria, non tamen absolutè simpliciter & verè jus esse, *Non item similiterquè differt à Talione Analogicâ sive Proportionali*, reddente non idem unicuique, sed aliquid, quod proportione ei respondeat, v g, pro institutione æquipollens precium, pro colaphi inflictione æquivalentem multam, quæ talio ipsissima justitia commutativa, locum habens, tum in Contractibus Voluntariis, tum in Contractibus Invitis. In Contractibus Voluntariis, sive Permutatione Rerum, quæ si Æquales, tunc simplex ἀντίδοσις per se justa, si Inæquales, quà quantitate, quà qualitate, hoc est, numero magnitudine bonitate, uti ferè fit, quia Respublica non consistit ex iisdem, verùm dissimilibus & specie differentibus artibus artificiis & artificibus, à quibus res quoque fiunt specie differentes, ac proindè inæquales, tum verò, quò eadem sit quantitas & qualitas, eę ęquandæ, hoc est, ad medium seu æqualitatem revocandæ, absque quâ nulla datur permutatio justa, quod ipsum quò commodùm fiat, res illas inæquales comparabiles ac commensurabiles esse convenit inter se, si non οὐσίᾳ, naturâ atque es-

sentia, quo res animatæ præstant inanimatis modo, musculus v g soli, saltem usu, ad quam rem opus mensurâ. *Mensura hæc vel Naturalis est, vel Artificialis*, quarum altera, quanti res quælibet sit commutanda, definit naturaliter, diciturquè *Indigentia*, altera res aptè adæquat, atque ad parilitatem traducit artificialiter, diciturquè, *Nummus*, illa naturalis, quòd sit orta à naturâ, necessitatis antecedentis explendæ causâ, quoniam nudi &. rerum omnium indigi nascimur, primò medium, aut principium veriùs, rerum permutandarum, inconstantiorquè in comparatione, eò quòd rerum precia sint incertissima, hæc artificialis, quòd hominum ingenio sit excogitata. lege, inquam, pacto, conventione, instituto, necessitatis consequentis supplendæ causâ, secundariò atque successivè ex eo medium rerum permutandarum, rebus contrahendis per se inæqualibus æqualitatem inducens, non ut mediator interim, qui judex, verùm ut communis mensura, constantior priori in comparatione, eò quòd hominum pacto valeat, inquè horum, non indigentiæ, sit potestate. Sed cur talis mensura indigentia? Quia enim absque hâc nulla futura foret permutatio. Quòd si enim homines nihil indigerent, aut non similiter,

liter, futurum esset, ut ob defectum mutuæ indigentiæ, si ego non indigerem re tuâ, cùm tu egeas meâ, si, aut nihil, aut non similiter, egerem, futurum, inquam, esset, ut nulla inter me & te, te & me, daretur permutatio, cùm tamen civitates ideò primitùs sint constitutæ, ut, quod mihi deest, ab altero suppeditetur, & à me iterum, quod illi deest. Cur deinde autem nummus? Quia enim vix fieri potest, ut, cùm abs te aliquid consequi volo, semper habeam, quo tu similiter indigeas, ne ergò ea res impedimento foret permutationibus, nummus communi quodam consensu ac conventione postliminiò suffectus in locum indigentiæ, ita ut, si mihi opus esset aliquâ re tuâ, neque ullam rem haberem, quâ tibi vicissim opus esset, non tamen idcircò oporteret contractum intermitti, sed possem tibi dare nummum, tanquam ὑπάλλαγμα ἢ ἀντάλλαγμα τῆς χρείας, vicarium necessitatis atque indigentiæ, sponsorem, inquam, & fidejussorem, ut certò scias, quâcunque tandem re, aut nunc, aut postea, egueris, te eam, vel à me, vel ab alio, dato hoc tertio interveniente, recepturum. Ut ita nummi usus sit, quò succurrat permutationibus, quoties non est mutua & æqualis indigentia. Si enim utrinque res venalis datur, ne-

cessaria

cessaria utrique, non ita, saltem non æquè, opus est nummo. *Cæterùm hîc etiam atque etiam observitandæ sunt regulæ quædam Mercuriales, fori quæ sunt commutativi, nominatim atque in specie hæ.* I. Quò major aut minor est indigentia vel abundantia, inopia vel copia rerum promercalium, eò unamquamque rem, aut pluris esse, aut minoris, quò item major minorvè copia emtorum, pecuniarumvè, penuria contrà mercium, quoniam pluris æstimatur, quod à pluribus quæritur, difficiliusquè & minore copiâ invenitur, quò denique major minorvè cupiditas hominum, precium rebus ponentium. Neque enim sola atque unica harum mensura indigentia Hominum quippè voluntas, rerum domina, multas res subindè magis desiderat, quàm sunt necessariæ, quod ubi fit, tunc modus cupiditatis est modus æstimationis, ut si in gratiam alterius res vendatur, quò ejus desiderio satisfiat, alioqui non vendenda. II. Ut emere quicquam viliùs, quàm valeat, vendereque cariùs, secundum se illicitum sit & injustum, quoniam vel precium excedit rem, vel res precium, posse tamen per accidens esse licitum & justum, secundum conditiones ementis & vendentis, horumqué indigentiam, siquidem res cedat in utilitatem

rem ementis, & detrimentum vendentis, ut si quis indigeat habere rem aliquam, alterquè lædatur, si eâ careat, quo in casu licitè quid potest vendi pluris, quàm valet secundum se, quamvis interim non vendatur pluris, quàm valet habenti. III. Precia rerum non esse arbitrio & æstimationi vendentium permittenda, ut tanti præcisè valeat res, quanti vendi potest, verùm tanti, quantum pro eâ communiter dari solet, eò quòd habeant aliquam latitudinem, intra quam plus minusve dari exigiquè potest, nisi lex terminum magnitudinis, qui augeri à venditore nequeat, certumquè rebus precium ἐν στιγμῇ sive puncto constituerit, quod precium legitimum indivisibile, sive in indivisibili, contraquè ut distinctum ita distinguendum à precio currente sive vulgari, quod infimum, medium, & summum, sive mite ac pium, mediocre, & rigidum in latitudine, neque ita punctualiter determinatum, ut modica additio vel diminutio tollat æqualitatem. IV. In communi hoc precio habendam esse, præter copiam & inopiam mercium, pecuniæ, ementium, laborum quoque atque expensarum rationem, quas quis subiit, in mercibus conquirendis, conservandis, meliorandis. V. Cùm mensura cujuslibet rei debeat esse definita, non infinita, ideò legiti

legitimum preciorum taxatorem in rebus permutandis debere esse naturæ amicum, quantitatevè non infinitum, à quo abhorret natura & ars. VI. Denique, dari posse accidentia rei æstimabilia, ob quæ illa, supra aut infra commune precium, ematur vendaturvè, putà, ob lucrum cessans, damnum vè emergens, ex rei alienatione, idquè vel ratione peculiaris affectus, oblectationisvè, quâ se privat venditor, dum in gratiam emtoris quid vendit, alioquin non venditurus, vel ratione incommodi consequentis, quia constituerat fortassis servare rem, donec pluris esset valitura, quo in articulo mercator, qui ex consideratione, & non ex occasione, quid vendit, næ potest pluris vendere, quod vendit, precio vel determinato, siquidem certum sit, rem illo tempore tantum valituram, vel indeterminato, si incertum. *Unde sole meridiano clariùs patet, quo mercatores modo queant justè ditescere.* Si enim indigentia rebus ponit precium, neque eadem fert omnia tellus, uti ostensum in superioribus, næ æquitati consentaneum fuerit, ut mercatores, qui merces aliundè advehunt suo cum periculo onere & molestiâ, tàntum domi lucrentur, quantò propter inopiam ἐν λεπτογαίῳ, adeoquè ibi sunt cariores, ubi eas divendunt, quàm

quàm iis in locis, ubi fuerunt coëmtæ, Buridanus diceret, posse mercatores bonis artibus ditescere, & per consequens emere rem viliùs, vendereque cariùs, melioratam post emtionem, idquè propter laborem meliorantem illam rem, dummodò non indilatè id faciant, vitiumvè sit melioratum per accidens, qualem mercaturam ait esse innaturalem, quia ordinetur tantùm ad congregationem pecuniarum, medium quæ mercaturæ, non finis. Et cur nequeant, sodes, bonâ conscientiâ rem facere mercatores, dum precium à magistratu constitutum sequantur, neque rem tanti vendant, quanti possunt, modò, deficienteque publicâ taxatione, communivè æstimatione, precii definitionem permittant judicio intelligentium, omnes circumstantias rectè ponderantium, quarum circumstantiarum quædam circa ipsas merces spectantur, ut copia, inopia, utilitas, necessitas; quædam circa venditores, ut labores, expensæ, pericula, damna, in illis comportandis & conservandis, uti & modus vendendi, ultroné offerant venditores, quod vendunt, an verò rogati, quædam denique circa emtores, sintnè multi, an pauci? Atque adeò, vel ideò etiam mercatores opulescunt ac ditescunt meo judicio benè, quia patriam beant rerum deficientium

um copiâ, communequè quasi quoddam forum domi aperiunt, in quo totius mundi opes sint venales. Objicies fortassis interpellabundus, complura interim mercaturæ esse vitia, eamquè nihil ferè aliud esse moribus, quàm viliùs emere, ut cariùs vendas, quales mercatores dominus olim ejecerit è templo! Vitia mercaturæ autem? Immò mercatorum, pace quod dixo tuâ, nec horum omnium, sed quales Christus exterminavit è sanctuario patris sui, neque immeritò, quia enim lucrum intendebant ut ultimum finem, in loco incompetenti, modo incompetenti, qui si servetur, quid quæsò impediat, quò minùs viliùs emas, quod cariùs vendas ex causâ, vel quia rem in aliquo meliorâsti, preciumvè ejus est mutatum secundum diversitatem loci & temporis. vel quia te periculo exposuisti, transferendo rem de loco in locum, aliovè ex titulo, sive alio ex capite, Quod attinet vitia & flagitia mercaturæ, næ ea ex accidenti huic competunt, non ex naturâ ejus: Atqui propter abusum non tollendus verus rei usus. Cibos aspernemur. attulerunt sæpè valetudinis causas: Nunquam tecta subeamus, super habitantes aliquandò procumbunt: Non fabricetur militi gladius, potest uti eodem ferro latro.: Immò quis nescit, ignes, aquas,

aquas, ſolem, lunam, aliquandò nocere, geminoquè modo mercaturam, vitio non ſuo tamen, ſed mercantium, nihil ferè proficientium, niſi ſplendidè mentiantur. Neque verò in Contractibus Voluntariis tantùm, ſeu Permutatione Rerum, mediante Indigentiâ & Nummo, locum habet Talio Analogica ſive Proportionalis, verùm etiam in Contractibus Invitis ſeu Maleficiis, in quibus talio debet fieri, atque ad æqualitatem proportionalem reduci à judice, & non à partibus contrahentibus, ut in rerum permutatione, & contractibus voluntariis, niſi his minùs conveniat tamen inter ſe. Cùm enim de æqualitate ſervandâ in contractibus diſconvenit inter privatos, eundum etiam hic ad judicem, quò quiſque jus ſuum, hoc eſt, reſtitutionem medii, conſequatur, qui judex, intellectâ damni & lucri differentiâ, dimidio lucri damno appoſito, tanquam intermedius inter illum, qui habet plus, & illum, qui habet minus, faciet æqualitatem, vel auferendo ab illo, qui habet plus. & addendo pro ratâ illi, qui habet minus, ad eum modum, quo quis lineam ſex pedum, æquare volens lineæ quatuor pedum, quia diſcrimen eſt duorum pedum, unum majori lineæ derractum breviori apponit, differentiamquè componit,

ponit, vel uni detrahendo solùm & simpliciter, quantum deest alteri. Unde judex ab hoc mediationis sive æquationis officio δικαστὴς Græcis dicitur, quasi διχαστὴς, quòd rem quamlibet in medietates, sive partes æquales, secet, item μεσίδικος καὶ μεσίδιος, quasi διὰ μέσον τῆς δίκης ἰὼν, per medium juris transiens, ipsumquè quin δίκαιον audit inde quasi δίχαιον, verso χ in κ, à Græcanico δίχα, quod valet duatim sive divisim, quasi bifariàm sectum, vel quasi δίαιον, per omnia means, interposito κ euphoniæ gratiâ, quòd cuique tribuat, quod suum est. Atqui nummus est medium inter res permutandas, quarum altera precii majoris, minoris altera, perquè eum redigitur inæqualitas, si qua est, ad æqualitatem, ergò non per judicem! Nam hoc fortè dicat aliquis. Immò verò per utrumque, per nummum, qui est res inanimata, tanquam per communem mensuram æstimationis rerum permutandarum, per judicem verò, qui est res animata, & jus animatum, tanquam per mediatorem, inter illum, qui habet plus, & illum, qui habet minus, æquantem inæqualitatem, quæ est inter eos, reducendo eam ad pristinam æqualitatem, quæ fuit antè, quàm illatâ injuriâ factæ sunt res inæquales & iniquæ, quod ubi

fit,

fit, curritur ad judicem, sicut & in contractibus invitis, ut, quò ad æqualitatem perveniatur, vel ei, qui lucratus est, plusvè justo habet, demat quantum satis est, addatquè alteri, qui damnum accepit, justovè minus habet, vel demat simpliciter uni tantùm, quantum is demsit alteri. Exemplum primi modi in contractibus voluntariis fuerit, si judex ei, qui emit libellos decem florenis, neque bibliopolæ eo nomine satisfecit, decem florenos adimat emtori, & bibliopolæ solvat, unde nascitur medium lucrum inter & damnum. Cùm enim emtor haberet plus, seu lucrū, libros videlicet & pecuniam, adeoquè viginti florenos, venditor verò haberet minus seu damnum, id est, planè nihil eorum, quæ versantur in hoc contractu, cùm & libros tradiderit, & pecuniam non receperit, judex inæqualitatem hanc corrigit, decem florenis emtori detractis, & bibliopolæ solutis. Exemplum ejusdem modi in contractibus invitis fuerit, si judex furi imponat reddendum alteri, quantum ipsi abstulit, immò plus, duplum, triplum, quadruplum, cur, quia enim, propter damnum, quod dedit fur, offendit Deum, offendit Rempublicam, offendit proximum, eò quòd, qui furtum facit, pecuniamquè alicujus aufert, is, qui aufert, in hoc contractu plus

plus habeat, quàm habere eum par erat, is verò, cui aufertur res sua, minus, quæ inæqualitas ad æqualitatem reducenda per judicem. Exemplum secundi modi in contractibus voluntariis fuerit, si uni contrahentium voluntariè detrahatur solùm & simpliciter, quantum deest alteri contrahentium, neutro eorum lucrum habente damnumvé, hoc est, plus boni, aut minus mali, quàm habere debebant commutantes, ut si quis emat vineam centum florenis, & emtor tantùm numeret quinquaginta, isquè ut sic habeat centum & quinquaginta florenos, venditor verò tantùm quinquaginta: Quid remedii aut consilii? Judex hoc in casu, quò æqualitatem inducat, quinquaginta flonos demet emtori, eosquè solvet venditori. Exemplum secundi modi in contractibus invitis fuerit, si cædem à privato factam, extra moderamen inculpatæ tutelæ, cæde vindicet judex, homicidæqué eripiat, quod ipse alteri eripuit, ut vel eâ ratione æqua utriusque sit conditio, nevè penes homicidam sit lucrum, dum animo & iræ suæ morem gerit, voluptatemquè ex suâ actione capit, penes eum verò, qui occiditur, sit damnum, dum rei charissimæ jacturam facit absque satisfactione, eò quòd factum hoc corrigi, & ad æqualitatem, à quâ abiit,

re-

redigi nequeat primo modo, cùm nihil hîc sit, quod ei addi possit, qui damnum passus est, quo damnum illud resarciatur, cùm ipsa vita ipsi sit erepta, ità ut necessariò altero modo res ad æqualitatem sit reducenda, homicidæquè contrà eripiendum, quod ipse alteri eripuit, ut vel eâ ratione par pari referatur, anima putà pro animâ, vel ipso Christo interprete, vindicante legem talionis à corruptelis Pharisæorum; cùm ait, audivistis, dictum esse, oculum pro oculo, dentem pro dente, ego verò dico vobis, ne omninò resistatis malo, neque interim hoc ipso prohibente, quò minùs paria paribus referat magistratus. Nisi enim liceret certâ proportione par pari referre, tam in bonis, quàm in malis compensandis, tunc nulla hominum inter se & cum aliis societas consistere posset, quæ mutuis dationibus & acceptionibus constat, officiorumquè ac factorum similitudine, supponente talionem, quæ jus, verùm eâ conditione, si in illâ servetur æqualitas analogica, quâ non idem pro eodem semper redditur, sed tam bona quàm mala certâ quâdam proportione retribuuntur, non simpliciter. Etenim jus simpliciter & absolutè in analogiâ, & non in solâ talione, consistit. Ad juris quippè constitutionem duo necessaria, talio & analogia.

logia, Atque hæc ipsissima videtur fuisse sententia Pythagoræ & Pyrhagoricorum. Quis enim credat, à sapientissimo Pythagorâ, cujus singula sententiarum frusta gemmas habent, si credimus Lipsio, hujuscemodi jus talionis probatum esse, quod omnem personarum & circumstantionarum respectum excluderet. Quid ergò Pythagoras? Haud dubiè intellexit, non nudam & simplicem proportionem, quæ rerum quasi ταυτότης identitas est, verùm eam, quæ est κατ' ἀναλογίαν, & κατ' ἀξίαν rerum pariter & personarum, quomodo si miles ducem vulneret, talio fuerit, non vicissim vulnerari, sed ad mortem rapi, si alius imprudens cædem commitat, talio fuerit, non vicissim interfici, sed vel multari, vel in exilium agi, si libram auri quis tradat, talio fuerit, non libram auri, sed merces, quæ æquant precium auri, accipere, quo in conceptu & sensu si Pythagoricam talionem accipiamus, ita ut actioni secundum proportionem proportionetur passio, quò fiat coæquatio actionis & passionis, retributioquè tanti pro tanto, næ illa ad utramque justitiæ particularis speciem non incommodè poterit applicari. *Extremum Justitiæ Commutativæ est, inde & hinc, hinc & inde, Injustitia Commutativa*, vitium quæ morale, æqualitatem

in

in contractibus violans, dum alterum ferre damnum, alterum verò facere lucrum, patitur, quo jure, quâvè injuriâ, alterum, inquam, habere plus de bonis, & minus de malis, alterum contrà plus de malis, & minus de bonis, utrumque injustè, sive quis sibi plus bonorum externorum expetat, quàm convenit, sive minus malorum externorum, v.g, paupertatis, tributorum, & similium, quàm convenit, licet interim communiter in scholâ morali injùstus dicatur appetens pluris, non minoris, eò quòd revertatur penè in idem, cùm quis dicitur appetens plus bonorum, & minus malorum, quia appetens minus malorum, videtur esse plus boni appetens, cùm minus malum habeat aliquo modo rationem boni, in quantum est eligibile in comparatione, fide proverbiorum: Minima de malis: Ex malis, quod levius: Melius uni malo obnoxium esse, quàm duobus: Undè fit, ut minus appetens mali, eo ipso sit plus appetens boni, ideoquè pluris cupidus, quàm æquum est, quare & iniquus, etiam quin transgressor legum, sive sit plus appetens, sive minus appetens, iniquus particulariter, transgressor legum universaliter, eò quòd iniquitas illa se extendat ad omne genus improbitatis, injustitiamquè o-

mnem comprehendat, omni plus appetente existente iniquo, & transgressore legum, non contrà, omni iniquo & transgressore legum plus appetente, cùm possint esse aliæ species improbitatis & transgressionis legum, quæ non sunt injustitia illa particularis, quæ est pars vitii, & pars vitii totius, uti doctè, sed minùs Latinè, disputat Donatus Acciajolus ad Aristotelem, lib. 5. Eth. Nicom. cap. 1.

CAPUT XLVIII.

De Virtute Heroicâ, & ejus Extremis, hoc est, inde Feritate Morali sive Voluntariâ, hinc Ignaviâ Stupendâ sive Immani.

Actum adhuc dum à nobis benè multis de duobus primis Gradibus Moralibus, putà, Infimo sive Incipientium, & Medio sive Proficientium, quorum graduum ille Semivirtus aut Semivitium hic Virtus aut Vitium Commune audit in auditorio morali: Restat, ut de Tertio Gradu, putà Supremo; qui Perfectorum, Virtusquè Heroica vel Vitium Heroicum audit in eodem auditorio morali, quid commentemur. *Virtus Heroica, si Nomen sive Nominalitatem ejus spectes*,

ſpectes, ſic denominatur, vel ratione ſubjecti, hoc eſt, hominis heroïs, quem faciunt hæc tria requiſita, ſive hæ tres partes eſſentiales, extraordinarius putà impetus ad magni momenti rem incipiendam, extraordinaria hinc conſtantia ad eam rem promovendam atque explicandam, extraordinaria denique felicitas, ad eam ipſam rem perficiendam, atque ad umbilicum deducendam, vel ratione adjuncti, putà, ἀπὸ τοῦ ἔρωτος ab amore ſingulari ultimi finis, ad quem altiùs elevant mentem ſuam heroës, quàm fieri ſolet ab hominibus vulgaribus, quaſi tu dicas ortos ex mutuo amore Deorum & Hominum, quos, ſiquidem virtutibus intèllectualibus excelluiſſent, Dei immortalis & fœminæ mortalis filios ferebat antiquitas, ſin morallbus, Deæ immortalis, ac viri mortalis, vel ἀπὸ τῆς ἔρας, à terrâ, quòd poſt magnas terræ eluviones à diis ſupercœleſtibus ex terrâ prodiiſſent, quaſi terreſtres dii, minimè terreni interim, vel ἀπὸ τῆς ἥρας, à Junone quaſi ἀηρῶες. Junonis & aëris filii, medii Deos inter & Homines, quemadmodum aër medius cœlum inter & terram, verâ re, ſive, in rei veritate, homines, qui ſupra communem aliorum ſortem & conditionem elevati. actiones inimitabiles producunt, mirandas, inquam, po-

tiùs, quàm imitandas. Virtus divina appellatur aliter, non quasi Dei sit, cùm ille habeat omnem perfectionem supereminenti modo, sed quòd faciat homines similes quodammodò Deo, sicut opposita feritas eosdem similes quodammodò reddit feris, non quasi ferarum sit, quæ incapaces ut virtutis ita vitii, & ratione potentiæ, & ratione habitus. & ratione actus, tanquam agentia necessaria, non voluntaria, sed quòd efficiat homines quoquo modo similes magis feris, quàm cætera vitia, quæ reddunt quidem homines vitiosos, at non feras, hoc est, vitam inferiorem humanâ, similemquè vitæ ferarum, viventes. *Sin Rem sive Realitatem ejus spectes*, ut sic est Virtus, (putà Moralis, sive Acquisita More,) servans Mediocritatem in Objectis & Actionibus Virtutum Moralium, cum Gradu quodam Eminentiæ. Juvat ἀναλύειν. *Definitio constat Genere, & Differentiâ quidem, at non Specificâ. Genus Virtutis Heroicæ est Virtus Moralis*, cùm & ipsa sit habitus προαιρετικὸς electivus, habens requisita virtutis moralis, rectam rationem pro principio agendi, mediocritatem inter duo extremo pro medio, honestatem verò pro fine, subjectumquè suum, in quo est, benè affectum reddens, opusquè ejus rectum

ctum ac perfectum dans, quod proprium virtutis moralis, ubi autem requisita atque ingredientia virtutis moralis, ibi utique ipsa virtus moralis: *Verùm cum gradu eminentiæ scilicet*! Unde tot ejus species constitui possunt addito gradu, quot sunt virtutes morales communes, quia in omnibus tenet hic gradus, licet interim potissimùm locum habeat in illis virtutibus moralibus communibus, in quibus excellere est difficillimum, v g, in Patientiâ Jobi, Castitate Lucretiæ, Fortitudine Alexandri, Clementiâ Julii Cæsaris, Fide Reguli, Justitiâ Minois, neque in his tantùm, verùm etiam in virtutibus communibus intellectualibus, v g, in Sapientiâ Salomonis, Prudentiâ Socratis, Arte Æsculapii, ipsis quin in virtutibus spiritualibus, v g, in Fide Abrahami, verùm ita, ut maximè propriè interim tribuatur virtutibus moralibus. Cùm enim feritas, virtuti heroicæ opposita, sit in moribus, ad eosdem & virtus opposita erit referenda. Quid, quòd eos, qui intellectualibus virtutibus excellunt supra vulgus, divinos potiùs, quàm heroas, appellemus, Divinum v g Platonem, Divum Thomam. *Differentia Virtutis Heroicæ, at non Specifica, illa verò explicitè sumitur ab Objecto ejus, Adjunctoquè Officio circa illud*

Objectum, *implicitè verò à Subjecto*, positivè, inquam, ab illo, præsuppositivè verò ab hoc. Sed cur non specifica? Quia enim nihil hic occurrit discriminis, nisi secundum magis & minus, adeoquè quoad accidentia tantùm, essentiam haud mutantia. *Objectum Virtutis Heroicæ & ipsum, sicut aliarum Virtutum Moralium Communium, vel Internum est, vel Externum*, ex quo utroque simul sumto objectum ejus totale atque adæquatum conflatur. *Objectum Internum Virtutis Heroicæ, sicut cæterarum Virtutum Moralium Communium, sunt Affectus, iiquè vel per se, vel per accidens, pro diversitate subjecti*, hoc cum discrimine interim, ut, cùm in virtute communi omnia sint tepidiora & languidiora, in virtute heroicâ contrà omnia sint vividiora, & fervidiora sive ferventiora, eò quòd impetus heroum sint heroici, hoc est, magni, ut qui virtutis communis mediocritatem excedant: Quo fit, ut, cum delinquunt heroës, modum communem potenter transeant, cumquè circa magna occupentur, magnis subindè excidant ausis. *Objectum Externum Virtutis Heroicæ universè & ipsum vel Negativum est, vel Positivum. Objectum Externum Negativum Virtutis Heroicæ sunt Objecta Virtutum Moralium Communia.*

munia, *spectata communiter*. Dicô, spectata communiter, quia circa idem quidem specie objectum occupatur utraque virtus, tam communis quàm heroica, at non eâdem, vel quantitate, vel qualitate, sed actionibus intensioribus hæc, remissioribus illa. Ita v g idem næ idem specie fortitudo communis & heroica habet objectum; eademquè utriusque est definitio essentialis, utraque est moderatio formidinis & confidentiæ, appetitui irascibili competit utraq;, honestas quin etiam actiones intendit utraque, nihil hîc differentiæ aut discriminis, nisi secundum majus & minus, magis item & minus, id quod sufficit. *Objectum Externum Positivum Virtutis Heroicæ sunt eadem Objecta Virtutum Moralium Communium*, *spectata cum Gradu Eminentiæ*, *& Ratione Magnitudinis Objecti pariter*, *& Ratione Amplitudinis Operationis circa illud Objectum*. *Ratione Magnitudinis Objecti*, quod virtutis communis commune in suo genere, sine gradu, saltem heroico, virtutis heroicæ verò idem quidem, verùm cum gradu, nec hoc quovis, sed heroico. Ecquale enim objectum virtutis heroicæ, annon magnum cujusque virtutis supra communem humanæ naturæ cursum? *Ratione hinc Amplitudinis Operationis circa*

illud Objectum , eò quòd illa occupetur circa actiones humanas communes atque ordinarias, hæc circa eminentiores atque extantiores, quæ propter raritatem atque excellentiam divinæ appellari solent, ad eum modum, quo ingenia divina dicuntur, usitatum quæ excedunt modum. Ecquales enim, cedò, sunt operationes heroum, annon intensioribus & profectioribus ac perfectioribus actionibus omnia agunt, ob summam, credo, animi magnitudinem, facultatemquè res maximas intrepidè aggrediendi, constanter sustinendi, feliciter exequendi, quæ visitur in eis, quas eorum operationes ideò, non ad universales Dei actiones, sed nec ad singulares, at benè ad speciales, refert Wendelinus, motus hoc argumento, quòd si universali tantùm actione, influxuvè indifferente, has excitaret Deus, jam non plus ad eas collaturus sit, quàm ad gregariorum militum fortitudinem, vel aliam quamcunque virtutem communem, sin ad singulares, jam nullum discrimen sit futurum inter virtutem heroicam Gentilium & Christianorum. Quicquid horum sit, nullus vir magnus sine afflatu divino unquam extitit, unctione docente omnia, quæ ex Saule fecit alium virum, unde in diatribis Philosophorum amant dicere, heroëm

neque

neque hominem esse, neque Deum, sed utrumque simul. *Officium Virtutis Heroicæ circa suum Objectum est, Tenere Medium in Operationibus suis inter Nimium & Minimum sive Parum.* Cùm enim mediocritas omnis virtutis moralis sit forma. ab heroicâ ideò virtute ea abesse nequit, ut quæ sit & ipsa virtus moralis, verùm præstantior communi, ex eoquè præstantiores edens operationes, intra laudabilem modum tamen. Est quippè etiam hîc

---- modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraquè nequit consistere rectum.

Subiectum Virtutis Heroicæ & ipsum, vel Negativum est, vel Positivum. Subjectum Negativum Virtutis Heroicæ sunt, in genere, Minùs Generosi Spiritus & Plebejæ Animæ, quæ non alta spirant, summa, extraordinaria, sed communia, popularia, vulgaria, in medio posita, neque supra terram assurgunt, sic affixæ suæ glebæ, ut cochlea domiporta suæ testæ: *In Specie Spurii,* saltem ut plurimùm, contagio seminis prorepente & prorumpente in id, quod ex semine nascitur, abominabiliquè colore, quo aliquod semen altè inficitur, in stirpe reflorescente, exquè venenatâ radice vene-

nato exeunte surculo, verùm naturaliter magis, quàm moraliter, vel experientiæ contradictorio testimonio, cùm constet, multos spurios esse corpore non animo tales, immò ne corpore quidem omnes, eò quòd genitores spuriorum subindè habeant filios vegetos & valentes, saltem valentulos, nedum animo, cùm videamus eos è natalium obscuritate ac sordibus studere per virtutem, rerumquè arduarum molitionem, eluctari: *Pueri hinc Infantes & Fœminæ*, saltem ordinariè, & secundum communem humanæ naturæ stilum, illi ideò, quia virtutis haud sunt capaces per ætatem, nisi δι ἐλπίδα, hoc est, potentiâ generali remotâ, quâ quilibet homo, vi animæ rationalis, per naturam suam est aptus natus ad virtutem acquirendam, non proximâ, cùm destituantur agibilium cognitione, accuratâ agendorum deliberatione, liberâ electione, appetitus castigatione, denique constanti executione, quæ omnia ad virtutis communis exercitium prærequiruntur, si incapaces virtutis communis, ergò multò magis heroicæ, loquendo moraliter, hæ ideò, quia virtus heroica requirit temperamentum nobile, hoc est, animum magnum, cor excelsum solidum compactum, corpus spiritus ac caloris plenum, quo fœminæ, quæ tempera-

men-

mentum ferè habent frigidum, humidum, & viscosum, cor laxum molle & fluidum, ordinariè destituuntur. *Subjectum Positivum Virtutis Heroicæ sunt, in genere, Homines Generosi, sive Illustres Animæ*, non communia, popularia, vulgaria, in medio posita, spirantes, sed alta, excelsa, summa, extraordinaria: *In specie, Heroës, quà Viri, quà Fœminæ, etiam quin suo loco Pueri, quà Legitimi hinc, quà Illegitimi, quà Gentiles, quà Christiani*, tum quia in hos omnes cadit oppositа feritas, quare & virtus heroica, eò quòd opposita sint nata fieri in eodem, fidem huic rei facientibus exemplis, nominatim Achillis, Hectoris, Aristidis, Camilli, virorum, Camillæ, Penthesileæ, Arthemisiæ, Judithæ, Susannæ, fœminarum, Danielis, Herculis, Alexandri, Catonis, puerorum, Jephtis Gileaditæ, Themistoclis, Timothei Atheniensis, spuriorum, tum quia heroem non tam natura facit, quàm extraordinarius raptus & impetus divinus, cui tam facile ad hanc virtutis ἀκμὴν καὶ ὑπερβολὴν educere fœminam & puerum, ac virum, illegitimum ac legitimum, gentilem ac Christianum, utut interim non eam inficias, virtutem heroicam illorum ab horum virtute heroicâ, factâ comparatione, quantitate tam continuâ

quàm discretâ ferè differre, virorum heroicâ virtute tantum præcellente fœminarum & puerorum virtutem heroicam, quantum fœmininus sexus infra másculinum, puerilis ætas infra virilem, existit. *Sic descripta Virtus Heroica, quà Objecto, quà Subjecto, utroque, tam Negativo, quàm Positivo, differt, & à Virtutibus Moralibus Communibus in genere, & a Magnificentià ac Magnanimitate in specie. A Virtutibus Moralibus Communibus in genere Gradu Perfectionis*, putà, quòd virtus moralis communis sit perfecta in suo genere, & suâ mediocritate, infra virtutem heroicam existente, hoc est, communiter, virtus verò heroica perfecta absolutè, ad eum modum, quo equus perfectum animal ratione sui, licet interim non sit perfectum animal ratione hominis, quoqué adeò tepor differt modo à fervore, qui collatus cum summo frigore, est calor, at collatus cum summo calore, est frigus: *Non specie completâ*, quia non distinguitur intrinsecùs per essentiam, sive per principia interna ad essentiam pertinentia, ut leo ab equo, sed tantùm extrinsecùs, per illustrius & minùs illustre, sive per accidentia ad materiam spectantia, ut Æthiops à Scythâ, mas à fœminâ, nisi nomine virtutis heroicæ intelligas virtutes divinas & infusas,

quæ

quæ specie distinctæ ab humanis, cùm definitione, modo acquirendi, finibus differant, ita ut unus non dirigatur ad alterum, eò quòd penitùs sint distincti. *A Magnificentiâ & Magnanimitate in specie*, quæ & ipsæ in aliquâ magnitudine quidem sunt positæ, at non in magnitudine heroicâ, cùm illa magnitudo planè sit necessaria ad constituendam essentiam virtutis in iis subjectis sive personis, quibus magnificentia aut magnanimitas competit, quæ tum demùm heroicæ audiunt, quando gradui communi sive populari additur gradus heroicus, differens in eo à communi, quod abesse possit â quâlibet virtute, manente tamen naturâ atque essentiâ ejus, v g, à justitiâ communi manente eâ, quod non item tenet in magnificentiâ & magnanimitate, quibus sublatis remanet liberalitas & modestia, non magnificentia & magnanimitas communis. Ut ita & destitutæ splendore heroico inveniri possint, & prę-ditæ, destitutæ, factâ comparatione magnificentiam inter & liberalitatem, magnanimitatem item & modestiam, quo sub conceptu similitudine tantùm ac proportione dicere valemus, magnificentiam esse liberalitatem heroicam, magnanimitatem verò modestiam heroicam, verisimiliter, inquam, magis, quàm
verè

verè, prææditæ, si summè fulgeant, atque ad finem eminentiorem grassentur, eleventquè animos altiùs, quàm secundum communem & popularem stilum. *Extrema Virtutis Heroicæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu opponitur ei Feritas Moralis sive Voluntaria, in defectu Ignavia Stupenda sive Immanis, non ut vitia simplicia & communia tamen, verùm ut duæ Immanitates.* Verâ quippè re virtus heroica non mediat inter duo vitia loquendo propriè, sed duas immanitates, v g, fortitudo heroica audaciam inter immanem, ut si quis ruptis scalis pensilibus, cum Alexandro Magno, è pinnaculis murorum in medios hostium globos desiliat, & timiditatem immanem, ut si quis murem, aut pulicis morsum, timeat. Sunt, qui in excessu & defectu simul huic opponant feritatem, eò quòd & illi ferarum sint similes, qui ad omnem veri & honesti sensum obstupescunt, quasiquè obbrutescunt, verùm, si penitiùs rem introspexeris, deprehendes, feritatis appellationem excessui magis competere, quàm defectui, qui ideò exprimendus nominatim, *Feritas Moralis sive Voluntaria* est, non tam vitium morale commune, quàm immanitas ac pravitas vitio communi major, quâ quis, excusso rectæ rationis

tionis jugo, omniquè tantum non humanitate abjectâ, horrenda & immanissima quæque, cumquè naturá humanâ pugnantia, patrat, non ex infirmitate animi vel corporis, cum Ajace apud Sophoclem, & Hercule Furioso apud Senecam, educationevé, consuetudinevé, eâqué tam universali, in integris populis, v g, Barbaris, qui matribus commisceri solebant, crudis hinc vesci carnibus, projectoquè pudore oberrare nudi, maribus decumbentibus post partum, non fœminis, necnon Achæis & Heniochis, qui dapibus humanis vesci, quàm particulari, in quibusdam singularibus hominibus, v g, Phalaride, qui suum fertur comesse filium, matremquè suam immolatam diis, mulierequè anonymâ, quam perhibent, gravidarum alvo exsectâ infantes sanguinolentos devorâsse, viro item anonymo, quem ferunt existimâsse, se ita magnum nasum habere, ut limine musæi exire haud posset, necnon Anthemone quodam, qui teste Heraclide Pontico galeâ tectus procedere solitus, metuens, ne cœlum fortè rueret, uti & alio quodam, somniante, mundi superficiem esse ex vitro, & sub eâ latere serpentes: Non, inquam, ex infirmitate animi, vel corporis, educationevè, consuetudinevé, sed ex solâ libidine peccandi, ortâ ex frequenti

actio-

actionum summè vitiosarum exercitio. ὑπερβολὴ τῆς κακίας Græcis, summa atque extrema malitia Latinis, Apostolo gentium ἀπαλγησία dedolentia, quasiquè depudentia, cùm quis ita dedoluit atque depuduit, manu per frontem, quod ajunt, ductâ, ut ad omnem honestatis sensum occalluerit & obduruerit. Ejus spicæ ex multis, tyrannis habitualis, peccatum Sodomiticum, sive belluina intemperantia, Atheismus, Epicureismus, locumquè habet hæc feritas potissimùm in iræ audaciæ atque injuriæ vitiis, distincta à vitiis communibus gradu, non specie. Nomen accepit à ferâ, sumto vocabulo ejus, non pro animali irrationali, sed pro homine, ad feram bestiam similitudine vitiorum quàm proximè accedente, humanam tamen naturam non prorsus exuente, hoc est, non negativè se habente, sed privativè. Atque hinc, ortum duxisse videtur fabula de Minotauris & Lycaonibus, qui ob depravationem ex variis feris proseminati finguntur à poëtis, item μετεμψύχωσις sive transanimatio Pythagorica animarum humanarum, migrantium in corpora ferarum & jumentorum. *Atque hæc Feritas Moralis sive Voluntaria, à vitiositate quæ est, non tantùm Feritate Morbosâ, sed omni Vitio Morali Communi, deterior est in com-*

comparatione. Feritate Morbosâ ea est deterior, qualis in maniacis & phreneticis, quia hæc agit sine ratione, illa cum ratione, licet corruptâ: Jam verò illud malum, quod est cum ratione, videtur esse deterius eo, quod non est cum ratione, cùm atrocior sit excessus, qui ἐκ προαιρέσεως proficiscitur, quám qui ἄνευ προαιρέσεως, quo videmus modo, homicidium commissum à latrone, capitale esse, quia commissum κατὰ προαίρεσιν, non item commissum à furioso, quia commissum ἄνευ προαιρέσεως, illud cum ratione, hoc sine, licet interim terribilior sit altera feritas in uno tertio, eò quòd illud, à quo ratio disjungitur, sit terribilius eo, à quo non disjungitur ratio, cùm magis perhorrescamus ea, quæ immanitate quâdam, licet minùs gravia mala sint, nobis immittuntur, quia propter terrorem duplo majora videntur, quâm sunt. *Omni Vitio Morali Communi eadem est deterior*, quia opposita Virtus Heroica omni Virtute Communi est melior: Jam verò regula est topica, id esse deterius, quod præstantiori opponitur, eò quòd oppositorum opposita sit natura, Sed & ideò deterior eadem, quia rationis usum non excludit, sed depravat, cùm sit adulreratio & depsavatio rationis, instar tricipitis cerberi tria habens capita, profanitatem,

quâ

quâ avertimur à Deo, immanitatem, quâ ab homine, tyrannidem, quâ à patriâ, & bono publico. *Ignavia Stupenda sive Immanis* est non tam vitium morale, quàm immanitas & pravitas vitio communi major, quâ homo ineptus ad omnem virtutis impetum domi redditur, ad omnem honesti sensum stupens, instar porcorum caprorum & asinorum, ac ne semel quidem suscipiens cœlum, cujus portentosæ supinitatis nomine olim malè verò, immò bis malè, audiverunt Sybaritæ, quorum hæ allegantur leges: Nemo nostrum frugi esto: Gallus gallinaceus in urbe nostrâ ne habetor, nevé alitor.

CAPUT XLIX.

De Amicitiæ Origine, Principiis, Caussis, quà Conservantibus, quà Corrumpentibus, Necessitate hinc atque Usu, in genere.

QUamvis amicitia propriè loquendo non sit virtus, vel intellectualis sive mentis, vel moralis sive moris, cùm magis videatur esse affectus, quàm habitus, tamen cum utrâque multum n æ multum habet cognationis, ideòque rectè post utramque ponitur atque exponitur in calce

calce Ethicorum. Nam & medietas ſive mediocritas eſt inter duo extrema, & cadit in bonos viros, eſtqué operatio plurimarum virtutum, medium quin, utut ſecundarium, felicitatis, vel comparandæ, ſi abſit, vel fruendæ, ſi adſit. *De hujus Origine ſeu Nätivitate, Principiis, Cauſis, quà Conſervantibus, quà Corrumpentibus, Neceſſitate hinc atque Uſu, in genere juvat agere hoc câpite, proximè inſequenti, eoquè ultimo, acturi de ipsâ in Specie. Quod attinet Amicitiæ Nativitatem ſeu Originem*, non una de ortu ejus veterum fuit ſententia, Alii enim amicitiam ſimilitudinem quandam eſſe dixerunt, alii diſſimilitudinem. Qui ſimilitudinem, illi pro ſe allegare experientiam, tam naturalem, quia videamus omnium rerum originem & principium eſſe amicitiam ſive concordiam, interitum verò inimicitiam ſive diſcordiam, quàm induſtrialem, quia videamus, eos inter ſe amicos fieri, quos inter eſt ſimilitudo quædam, fide proverbiorum: Similem Deus ducit ad ſimilem, ſimile expetit ſimile, ſimiles habent labra lactucas, pares cum paribus, graculus graculo aſſidet. Qui diſſimilitudinem, illi verò pro ſe laudare experientiam contrariam, quia videamus, res gigni ex quâdam principiorum diſcordiâ, rebùs inimicis

micis inter se coalescentibus, pulchrâ quâdam harmoniâ, quasi ex discanto & basso, alto & tenore, conflatâ, quomodo cernimus, contraria inter se, saltem dissimilia, se invicem expetere, terram v g imbrem, inane expletionem, frigidum calorem, iterum fide proverbii, quo figulus perhibetur invidere figulo. Quasi dicerent patroni posterioris sententiæ, inter similes & pares potiùs inimicitiam esse, quàm amicitiam, inter impares verò potiùs amicitiam, quàm inimicitiam, si Dîs placet. *Quod hinc attinet Principia Amicitiæ, illa verò vel Prima sunt, vel Proxima Primis. Principium Primum Amicitiæ adversus alios est Philautia*, hoc est, *Amicitia, quæ cuique secum, sua, inquam, cujusque secum amicitia*, si minùs propriè, cùm τὸ amare & amari sit in duobus disjunctis, sicut injuriam facere & accipere, saltem impropriè. Ut enim requirat propriè dicta amicitia, ut sit disjunctio,. tamen non planè ac plenè requirit, ut quæ cernatur in summâ conjunctione & copulatione animorum, partibus animi utriusque amicorum inter se consentientibus cum ratione, quæ est in utroque amicorum moraliter eadem, naturaliter distincta, utroque amicorum, quasi per animi raptum, divulso à seipso, translatoquè cogitatione & affectu in rem

rem amatam, ita ut anima amantis sit quasi in amante mortua, in eo verò, qui amatur, viva, amicusqué non tam seipsum, quàm amantem, sentiat, in proprio corpore mortuus, in alieno vivus, argumento palloris & maciei. Dum enim tota vis animæ in rem amatam convertitur, per adunationem saltem assimilationem rei amantis cum re amatâ, illucqué unicè est intenta, alimento capiendo & digerendo haud sufficit, quo fit, ut inopia & cruditate sanguinis membra emacientur primùm, mox pallescant. *Philautia, inquam, eaqué Bona*, qualis, quæ sequitur dominium rationis, quâquè adeo homo seipsum diligit, ut subjectum, & quoad naturam suam, ut quæ sit bonum quiddam, etiam absque virtute considerata, hactenus φίλαυτος, & quoad honestum, quod in se est, plus sibi, quàm amico, de eo tribuens, hactenus φιλάγαθος. Atque hęc Philautia est fons amicitiæ. Omnis siquidem amicitia adversus alios, ex eâ, quæ cuique secum, manat, juxta formulam vulgarem, tam te amo, quàm meipsum. Omnibus modis licita, quia, qui seipsum amat cum ratione, næ ille præcipuè amat principem sui partem, à quâ esse suum habet & denominationem, eò quòd homo maximè sit ratio, & secundum nonnullos unicè,

unicè: *Non Mala*, quæ sequitur dominium sensus, sive appetitus sensitivi, quâque adeò homo seipsum diligit, ut objectum, in quo terminetur & acquiescat dilectio, plus sibi tribuens de bonis utilibus, & jucundis, quàm amico, id quod facere solent improbi, qui in rebus utilibus & jucundis seipsos, & maximè quidem, amare assolent, ut qui sui commodi causâ omnia agant; nihil alterius, sequentes suos affectus, cupiditates, voluptates, utilitates. Atque hæc Philautia non est fons amicitiæ. Ut enim leviter improbis & ipsis sibi secum sit amicitia, neque secum tantùm, sed etiam cum aliis, non est, quâ parte sunt nequam tamen, verùm quâ parte boni sibi videntur, sibiqué placent, hoc est, specietenus tantùm, non verâ re. Unde apparet, quid de verè improbis sit statuendum, quibus nec secum, nec cùm âliis, amic tia, ne in speciem quidem: Non secum, cùm nihil in se habeant, quod sit dignum amore; Non cum aliis, ob defectum trium notarum amicitiæ, quæ sunt, velle & facere, quæ vel saltem videntur bona, idqué non suâ sed amici causâ, velle amicum vivere, & benè valere sive habere, idqué iterum non suâ sed amici causâ, idem velle & nolle, iisdemqué gaudere & dolere, idquè iterum non suâ sed amici causâ, ubi

ubi autem non sunt notæ amicitiæ, ibi nec ipsa amicitia. *Principia Proxima Amicitiæ, vel Interna sunt, vel Externa, illa Benevolentia & Concordia, hæc Beneficentia & Conversatio sive Convictus,* quorum principiorum externorum prius cohæret cum benevolentiâ, quæ si occulta, haud sufficit ad amicitiam conjungendam, cùm nequeat animos amicorum conjungere, quod fit interventu beneficiorum, in eo, qui benefacit, & in eo, cui benefit, posterius verò cum concordiâ, quæ si occulta, & ipsa non sufficit ad amicitiam conjungendam, cùm nequeat corpora amicorum conjungere, quod fit interventu conversationis, sive quotidiani convictus, inter conversantes amicos, *Benevolentiâ* est principium internum amicitiæ, non quodvis, non utique formale, sed materiale, atque instrumentale sive effectivum, quoniam ex eâ, tanquam dispositione, oritur amicitia, quia, ut qui sint amici, antè benevoli sint, necesse est Quemadmodum enim amoris initium est ex aspectu formosæ mulieris, cùm nemo amore capiatur, nisi quem delectat formæ venustas, ita initium amicitiæ est propensa & benevola voluntas, quâ affecti sumus erga alterum, & quemadmodum aspectus ille non est ipse amor, sed amoris initium, ita

ita benevolentia non est ipsa amicitia, nisi desiderium absentis accedat, sed origo ejus, quoniam ex eâ, accedente consuetudine, paulatim proficit amicitia, non est, inquam, benevolentia ipsa amicitia, licet ab eâ non magis sejungi possit, quàm calor ab igne, benevolentiâ existente termino à quo amicitiæ, ipsâ amicitiâ termino ad quem, medio verò termino amore. Sicut autem benevolentia non est quodvis principium amicitiæ, ita nec cujusvis, sed quæ ex virtute, non utilitate, voluptatevè: Non utilitate, quia amicus utilis non tam ex animo est benevolus, quàm gratitudinis externæ ergò, non re, sed voluntate, respondens, idquè spe retributionis amplioris, amans fundum & prædium amici. non ipsum amicum, non tam ipsum, inquam, amicum, quàm aliquid amici, hoc est, utilitatem ex eo provenientem, quia, qui commodi sui causâ alteri benè vult, is non tam alteri, quàm sibi, benè velle dicendus est: Non voluptate, quia jucundus amicus, qui alteri benè vult voluptatis vel oblectationis gratiâ, & ipse benè cupit, non tam amico, quàm sibi, spe fore, ut ad se quidpiam redeat ex secundis rebus amici, qualis benevolentia etiam esse potest erga inanima, v g, erga tabulas pictas, cibi & potus delicias, neque

que interim amicitia, quæ benevolentia quidem, ſed aperta, non occulta, cùm benevolentia quoque eſſe poſſit occulta, altero alteri benè volente, etiamſi factis illud nondum declaret, immò nequeat declarare, tum mutua, quia alioqui ſequeretur, etiam odium eſſe inter amicos, ſi inter ſe non amarent mutuò, ſed alter duntaxat, amicitiamquè eſſe poſſe etiam inter ignotos, quos inter eſſe poteſt benevolentia, cùm ſæpenumerò benè velimus, quos nunquam vidimus, quorumqué virtutes & rectè facta ex aliis vel fando audivimus, quorumvé de eruditione humanitate moderatione præclarè ſentimus, non item amicitia, quam nemo contrahit cum ignoto, verùm cùm eo, cujus animum mores & ſtudia apprimè novit, demùm efficax, actuoſa, officioſa, negocioſa, non ocioſa, ignava, iners, qualis mera & ſimplex benevolentia, quę vult quidem alteri benè, ſed vult tantùm, facere autem poſthabet, tum ſubitò exiſtit, uti videre eſt in ludis & ſpectaculis, ubi adverſus ἀγωνιστὰς ſtatim ſurgit benevolentia ſpectatorum, & ſtudium aliquod ſuperficietenus, ſed non adjuvandi, omnibus erga eos exiſtentibus benevolis, nemine interim his opem ferente, ac ne cupiente quidem ferre, contrà quàm ſe habet res in amicitiâ, quæ, præterquam

quòd cum tempore & consuetudine est, etiam est conjuncta cum ardenti atque efficaci studio juvandi amicum. *Estquè vel Theoretica, vel Practica. Benevolentia Theoretica* est, quâ alicui bona volumus & cupimus: *Practica*, quâ voluntatem ratificare atque exequi studemus: Atque hæc ad amicitiæ generationem requiritur, quia èx eâ proximè oritur amor amicitiæ, simplici benevolentiæ superaddens contentionem ac desiderium fruendi eo, juvandiqué eum, erga quem benevolentia concepta est. Unde quidam dicunt, nihil inter hanc & illum interesse; nisi magis & minùs, ut benevolentia sit remissus amor, amor verò intensa benevolentia. *Concordia* & ipsa est principium internum amicitiæ, nihilqué est aliud, quàm mutua, ut cogitationum, ita animorum, consensio, eaquè constans, pertinens ad privatam vel publicam eorum, qui concordes sunt, utilitatem, de rebus, quæ tales sunt, ut per nos cogitari effici compararivè queant. *Estquè & ipsa, vel Theoretica, vel Practica. Concordia Theoretica* est ὁμοδοξία, sive, opinionum consensus & concentus, consistens in identitate opinionum speculativarum: *Practica*, animorum congruentia & corresponsus, consistens in consensu & concentu mentis, quoad acti-

- ones

ones morales Ex his illa non ſemper de neceſſitate amicitiæ, cùm poſſit eſſe inter ignotos, immò inimicos, & quoad diverſas diſciplinas humanas, ſiquidem diſſenſio illa ſit ſimplex & privata, non pertinax & publica tamen, conjuncta cum acerbioribus dicteriis, quo in caſu amicorum animi diſsiliunt, ſacerqué amicitiæ ignis, ſi non totus extinguitur, ſaltem reſtinguitur, & quoad religionem, cujus diverſitas, nec tollit amicitiam naturalem, quia in ipſo religionum divortio manet nihilominùs στοργὴ naturalis, parentes inter & liberos, fratres & ſorores, quamvis languidior nonnihil, nec amicitiam conjugalem, quia contractum matrimonium infidelitas, quà talis, non evacuat, utut inter perſonas ejuſdem fidei, vel in totum, vel in tantum, amor amicitiæ ſit ardentior & conſtantior, nec amicitiam civilem, in converſationibus commerciis & contractibus civilibus conſiſtentem, quam diverſæ regionis & religionis hominibus imperat neceſsitas, cùm non omnis ferat omnia tellus, præſertim ſi neceſſaria vitæ adminicula nonniſi ab illis, & per illos. nanciſci poſsimus: Illa, inquam, non ſemper de neceſsitate amicitiæ, fide verſiculorum, aſſerentium atque aſſeverantium, quòd

Non eadem sentire bonos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitiâ, quæ,si omnimodam in opinionibus consensionem ad unguem exigeret, næ illa è mundo tolleretur, in tantâ dissensionum multitudine, fide parallelorum versiculorum:

Cuique suum caput est, ut pileus, improbat Hermes,
Approbat Hermannus, nec idem placet omnibus unquam:

Hæc contrà semper de necessitate ejus, ut quæ sit tantùm inter notos & amicos, virtuteque mediante contrahatur semper inter ejusdem amicitiæ membra, quæ quemadmodum haud unum, nisi sint colligata in toto, cujus sunt partes, sic amici per se multi haud aliter unum, nisi unitate consentáneâ, Sicut enim unum solis lumen, etsi multi ejus ac diversi sint radii, una arbor, etsi multi ejus sint rami, unus fons, etsi multi ejus sint rivi, quia unitas servatur in origine, sic multi amici fiunt interveniente concordiâ una caro, non Physicè tamen, ita ut caro unius & alterius amici sit materialiter una caro, animaque utriusque formaliter una anima, (manent enim nihilominùs partes essentiales substantiarum separatarum, sive distinctorum individuorum,

rum, eò quòd persona amici amantis, non sit persona amici redamantis, aliæquè functiones huic, aliæ illi, competant,) sed Ethico-Oeconomicè, propter conspirationem in virtutibus moralibus, familiaremqué conversationem, officiorumqué communicationem, hoc operantes, ut una anima in duobus corporibus dicantur amici. *Beneficentia* est principium externum amicitiæ, nihilqué est aliud, quàm motus animæ appetentis, ad merendum benè de illis, quos diligimus. Neque enim satis est, animo benè velle amico, quod benevolentiæ, & unà cum eo sentire ac facere, quod concordiæ, sed oportet, quoties occasio datur, animi propensionem re & factis ostendere, quod beneficentiæ. Hîc loci quæstionem, non alienam ab hoc loco, instituit Philosophus, *utri magis ament in comparatione, Benefactoresnè Beneficiarios, an Beneficiarii Benefactores?* requé ultrò citroqué ventilatâ, concludit, quòd hi illos. I. Quia naturaliter homo magis amet opus suum, quàm opus hominem, autorem suum, si foret animatum, aptumqué ad amandum, susceptorem verò beneficiorum esse opus benefactoris sui. Hoc exemplo videas, inquit, parentes nescio quomodo magis amare liberos naturaliter, opificem opus, archi-

tectum domum, pictorem tabulam pictam, poëtam suum poëma, quàm liberos parentes, opus opificem, domum architectum, picturam pictorem, poëma poëtam, siquidem essent talia, ut reddere possent amorem. Sed cur, quaesò, suum cuique opus charum naturaliter, cur? Quia enim esse suum cuique charum naturaliter, quare & operatio, si operatio, ergò & opus, quoniam opere perfecto actu quis demùm esse videtur, antè verò, hoc est, eo nondum perfecto, potentiá tantùm, sutor, v g, quando suit, non quando suere potest, aedificator, quando aedificat, non quando aedificare potest, orator, quando dicit benè, non quando dicere potest, aut adhuc est infans, serra quando secat, non quando secare potest, geminoqué exemplo benefactor, cùm benefacit, non cùm benefacere potest. II. Quia jucundius quid in accipiente reperiat is, qui dedit, nempè τὸ honestum, quàm in dante is, qui accepit, nempè τὸ utile: Atqui honesta, quale hoc loco dare beneficium, utilibus, quale hoc loco accipere beneficium, jucundiora, non tantùm ratione temporis praesentis, hoc est, usus, qui diuturnior in dante, quàm in accipiente, quoniam honestum diuturnius utili, sed etiam ratione temporis praeteriti, hoc est, memoriae,

moriæ, quæ jucundior dantis, quàm accipientis, eò quòd rerum honestarum suavior sit memoria, quàm utilium, quin immò & futuri, quia, quemadmodum præteritum jucundum, quia olim fuit præsens, ita futurum jucundum, quia aliquandò erit præsens. III. Quia amare magis conveniat agenti, quàm patienti, hoc est, danti quàm accipienti beneficium, cùm amare sit actionis, amari verò passionis. IV. Quia chariora sint laboriosa & difficilia minùs laboriosis & difficilibus, & per consequens τὸ dare beneficium τοῦ accipere beneficium, quoniam illud difficilius in comparatione hoc, sicut difficilius, parare divitias labore suo, quàm accipere partas ab alio. *Conversatio* & ipsa suo loco est principium externum amicitiæ, nihilqué aliud, quàm familiaris consuetudo cum eo, cui benè cupimus, quemqué amamus efficaciter. Dico, familiaris consuetudo. Neque enim sufficit, velle cui benè, & facere, sed insuper requiritur, ut amicè cum eo conversemur, non tam in voluptatibus unà fruendis & fruiscendis, compotationibus, concœnationibus, collusionibus, quàm in animi actionibus communicandis, honestisqué colloquiis ac sermonibus miscendis, nominatim in convivio, quæ vox exprimit convictum cum Lati-

 nis,

nis, in sympoſio, quæ vox exprimit bibendi societatem cùm Græcis, malè ab utriſque, ſiquidem amicorum converſationem coëpulationibus concœnationibus & compotationibus definiverunt tamen, quod pecudum potiùs, quàm hominum, ad paſtum natarum, ejuſquè causâ gregatim agentium, atque in societatem coëuntium, & non vitæ conſuetudine, quam amantes adamant maximè, tum quia amicitia eſt quædam societas ſeu communitas, hæc autem in conſuetudine, quia, quæ quiſque maximè adamat ſtudia, ea convictus causâ adamat, quia in iis convictum poſitum eſſe putat, eaqué cum amicis excolere gaudet, quaſi eſſe cujuſque ſuum his ſtudiis definiatur, haud quidem eſſe primum, quod vitâ definitur, ſed ſecundum, quod in communibus ſtudiis poſitum dici rectè poteſt, ut in ἐνεργείᾳ quâdam, v g, eſſe Philoſophi in Philoſophando, eſſe ejus, qui talis & teſſeris delectatur, in ludendo talis ac tèſſeris, prout vel illud argumento eſſe poteſt, quòd Philoſophi quærant, quibus cum philoſophentur, venatores, quibus cum venentur, alii alios, quibus cum ſtudia ſua communicent & excolant, tam boni, quàm mali, tum denique, quia amantes, præter cæteros ſenſus, vivendi ſenſum maximè adamant,

quare

quare & convivendi. *Atque hæc videtur esse causa, quare beatus opus habeat amicis*, contra Theodori Athei pronunciatum, id negantis hoc argumento, quòd beatus sit αὐτάρκης, seipso contentus, bonísquè omnibus affluens, quare nullâ re egens, ne amicis quidem, quorum hic usus, ut, quæ per nos ipsi non possumus, ea per illos consequamur. Inconcludenter, meo judicio. Ut enim beato fortè non sit opus amicis ex voluptate utilitatevé, eò quòd ipsius vita ipsi per se sit suavis & jucunda, cùm omni bonorum genere antè abundet, ideoqué illis haud indigeat ob eorum sufficientiam, non tamen ocyùs inde efficitur, nullis ei amicis esse opus, tum quia per amicum, tanquam per speculum, suas actiones, in quibus consistit beatitudo, quæ actio perpetua, & semper actio, intuetur & cognoscit, per actionem amicitiæ immanentem, ut qui sit alter idem, tum quia secùs beati voluptas non erit perpetua, si huic desint amici, cùm per se quisque omnia facere nequeat, multísqué in rebus administro & adjutore opus habeat, & verò etiam ipsa solitudo sit molesta, hæc verò per amicos depellatur, saltem meliùs & jucundiùs, quàm per alios nullius rei homines, tum quia ex convictu bonorum amicorum exercitatio quædam

virtutis capitur, horumqué consuetudine virtus excolitur, per actionem amicitiæ transeuntem. Dico forté. Verâ quippè re etiam amici jucundi & utiles beato sunt necessarii, saltem interdum & leviter: Jucundi, propter adventitiam voluptatem, quam illi relaxandi & recreandi causâ, libentes permittimus: Utiles, similiter propter adventitiam aliquam utilitatem, quam beatus capit ex contubernio & convictu amicorum utilium, licet interim maximè ei sint necessarii amici honesti, sive ex virtute, quò virtutes suas in his possit contemplari, earumqué exercitium cum eis instituere, sicqué frui voluptate optimâ. Ut breve faciam, si amicus est expetendus viro bono, ut est, tunc utique aliquis amicus viro bono & beato esse debet, quia alioqui fieret, ut hâc parte claudicaret beatus, huicqué ex rebus expetendis aliqua deesset: At hoc absurdum, cùm omnia, quæcunque sunt expetenda, in beato, tanquam cumulo bonorum, insint: Ne qua igitur res expetenda desit beato, concludendum erit, ei amicos esse necessarios, neque interim æquè & æqualiter omnes, sed πρώτως honestos, δευτέρως jucundos & utiles. *Quod denique attinet Amicitiæ Necessitatem atque Usum, næ illa pernecessaria & perutilis utriusque respectu,*
idqué

idqué quà privatim, quà publicè. Privatim, tam Divitibus, quàm Pauperibus, tam Pueris & Adolescentibus, quàm Senibus, ipsis quin etiàm Viris, immò non Hominibus tantùm, sed & Belluis. Divitibus, tum ad κτῆσιν domesticam, sive custodiam rerum suarum, quæ absque amicorum præsidio servari vix possunt, magnæ præsertim, quæ, quò majores, hoc majori periculo obnoxiæ, ob majores insidias, tum ad χρῆσιν moralem sive beneficentiam, quâ sublatâ nullus penè hujus εὐετηρίας, hoc est, copiæ foret usus, qui ἐνέργεια amicitiæ. *Pauperibus*, πρὸς τὴν καταφυγὴν, ad perfugium, quia unicum in adversis præsidium atque asylum amici: *Pueris*, πρὸς τὴν τροφὴν, ad alimoniam, alimentorumqué subministrationem, & παιδείαν, disciplinam atque institutionem: *Adolescentibus*, πρὸς τὰς καλὰς πράξεις, καὶ τὸ ἀναμάρτητον, ad studium honestarum actionum, sive rectè factorum, & fugam malè factorum: *Viris*, ad idemmet studium, res, inquam, præclaras contemplandas, & agendas viriliter: *Senibus*, πρὸς τὴν θεράπειαν καὶ βοήθειαν, auxilii atque observantiæ causâ, ut qui propter imbecillitatem corporis, se & sua curare, resqué obire nequeant, ideó qué amicorum obsequio & subsidio indigeant: *Ipsis quin immò Belluis*, cùm non tan-

tùm hominibus insitum sit, amare eos, quos ex se procreant, verùm etiam animantibus, quæ non solùm amant ex se procreata, sed & ea, quæ sunt ejusdem speciei, formica formicam, cicada cicadam, accipiter accipitrem: Quamvis hæc amicitia naturalis, non tam amicitia sit, quàm amor. *Neque verò amicitia privatim duntaxat necessaria atque utilis, sed etiam publicè*, ut quæ civitates contineat, statumque earum tueatur. Unde civitatum ac legum conditores & fundatores, majorem amicitiæ, quàm justitiæ, rationem habere videas. Operam quippè dant, ut cives inter se sint amici, vel certè concordes, quæ concordia gemina amicitiæ. Atqui concordiæ causâ justitia quæritur! Immò ne opus quidem justitiâ, si amicè semper & concorditer inter se vivant cives, quia non magis inter amicos existunt injuriæ, quàm inter Deos, ubi autem nullæ injuriæ, ibi nec justitia: Contrà, licet homines justi fuerint, tamen opus habent amicitiâ, quò magis concordes vivant. Quid multis? In omni fortunâ opus amicitiâ, in adversâ auxilii & levamenti causâ, in secundâ consilii & temperamenti ergò, sed universè interim magis in adversâ, tum quia in eâ nescio quomodo magis egemus amicis, tum quia molestior

ſtior in adversâ fortunâ ſolitudo, adverſitates non levans, ſed aggravans. Dum autem amicitiam neceſſariam eſſe profitemur, voce neceſſarii utimur largè, non preſsè. Neceſſarium quippè ſumi ſolet, vel latè, vel ſtrictè. Neceſſarium ſtrictè ſumtum eſt, ſine quo v g homo vivere nequit, ut reſpirare: Neceſſarium latè ſumtum eſt, ſine quo homo ſanæ mentis & perfectus feliciter vivere nequit. Amicitiá poſteriori non priori modo eſt neceſſaria, hoc eſt, neceſſitate expedientiæ, quam ſic vocant, ſive expedientis.

CAPUT L.

De Amicitiâ in ſpecie, & hujus Extremis, id eſt, inde Nimiâ Familiaritate, hinc Solitudine.

Amicitia in ſpecie ſic dicta, ſi Rem ſive Realitatem ejus ſpectes, non Nomen ſive Nominalitatem, quomodo jam accipitur de omni rerum naturalium συμπαθεία, pluviam inter & plantas, oleam & vitem, hanc & ulmum, delphinum & hominem, ſicut vox oppoſitæ inimicitiæ de earundem ἀντιπαθεία, ignem inter & plantas, quercum & oleam, fraxinum & ſerpentem, leonem & gallum,, porcum

porcum & elephantum, jam de quolibet, appetitu societatis in animalibus gregalibus, contradistinctis à sporadicis, v g, hominem inter & canem, inter quos quidem amor, at non amicitiæ, vel activus, quo amamus alios, vel passivus, quo amamur ab aliis, cùm non magis detur amicitia sine amore & redamore, quàm sine fide conjugali, utrinque datâ & acceptâ marem inter & fœminam, matrimonium, jam pro mutuâ benevolentiâ, omnibus hominibus intercedente inter se, tam notis, quàm ignotis, tam civibus, quàm peregrinis, insuper habitâ virtute utilitate voluptate, *si*, inquam, *Rem sive Realitatem ejus spectes, non Nomen sive Nominalitatem, ut sic est Mutua quorundam Aperta atque Efficax Benevolentia.* Sed juvat ἀναλύειν. *Definitio hæc constat Genere, & Differentiâ Specificâ. Genus Amicitiæ est Benevolentia*, vocabulo ejus liberaliùs sumto. Propriè quippè benevolentia est quiddam ab amicitiâ disjunctum, & principium ejus veriùs, quàm ipsum principiatum. *Differentia Specifica Amicitiæ sumitur explicitè ab Adjunctis ejus Essentialibus, implicitè verò ab Objecto*, positivè atque expositivè ab illis, suppositivè verò ac præsuppositivè ab hoc. *Adjuncta Essentialia Amicitiæ sunt tria, puta, quòd sit Mutua*

tua quorundam Aperta atque Efficax Benevolentia. Mutua quorundam Benevolentia est Amicitia, quia, nisi in ea adsit amor mutuus, non tam amicitia hæc benevolentia fuerit, quàm simplex benevolentia, aut amor quidem, ast non amicitiæ, cujus proprium, in amore mutuum facere, hoc est, amico in amore bonâ fide respondere. Quo intuitu, teste Laërtio, finitore Aristotele, cujus hîc filum ducimus, amicitia nihil aliud, quàm æqualitas benevolentię mutuæ. Et cur non? Aliâs namque sequeretur, etiàm odium inter amicos esse posse, quod absurdissimum, si illi inter se non ament mutuò, sed alter duntaxat: Sequeretur deinde autem, amicitiam homini esse cum inanimis, quod æquè absurdum, tum quia inanimorum adversus nos nullus reciprocus amor, tum quia nos illis bona non volumus ipsorum causâ, cùm ad amicitiam hæc duo sint connecessaria, mutuus putà amor, & boni voluntas, ipsius, qui amatur, causâ, quorum neutrum in illis reperitur, nec amor ἀντίστροφος activè, nec voluntas boni passivè. Ridiculum siquidem fit, velle v g vino quid boni. Nam quòd conservari id volumus, non tam vini, quàm nostri id causâ volumus. Inanimis autem? Ipsis quin etiam bestiis, in quibus non est amor mutuus, quia in his non est προαίρεσις, quæ

quæ non est, nisi in ratione præditis, si non προαίρεσις, ergò nec amicitia. Atqui (nam hoc fortè dicat aliquis,) amicitia Socratis non est amicitia Platonis, nec amicitia Platonis amicitia Socratis, cùm accidens unum nequeat simul esse in duobus subjectis realiter distinctis: Ergò nil opus amore mutuo in amicitiæ fundatione! Repono scrupulum hunc moventi, non accipi hîc τὸ mutuum, quasi amicitia transeat de subjecto in subjectum, ab amico ad amicum, nec ut qualitatem absolutam, qualis amicitia matrum erga filios, sed cum respectu ac relatione æquiparantiæ, secundum similitudinem, quæ fundatur in qualitate illâ absolutâ, tanquam in fundamento, ita ut amicitia, quæ est in Socrate, sit similis amicitiæ, quæ est in Platone, & contrà, sicut videmus duas albedines æqualis gradus esse similes, differreque tantùm numero, cùm specie conveniant, ejusdem rationis, quando habent idem objectum. Græcè Philologantes amorem mutuum vocant ἀντιφίλησιν, Latinè Philologantes antamorem sive redamationem, ut φίλησιν amationem: Sed malim φίλησιν amorem, ἀντιφίλησιν verò mutuum amorem, appellare Latinè. Amatio siquidem & redamatio, sunt illa quidem planiora, aut certè ad Græcorum verborum indolem exprimendam

mendam factiora. Plautinæ interim potiùs prosapiæ, quàm Ciceronianæ. *Aperta quorundam Benevolentia est Amicitia*, quia alioqui sequeretur, etiam inter ignotos dari amicitiam, cùm sæpè iis, quos nunquam vidimus, ob virtutem, aut eruditionem, benè cupiamus, benequè adversus eos simus affecti: Quin immò fieri potest, ut, quem nos tacitâ benevolentiâ prosequimur, nos quoque simili prosequatur, cùm tamen alter alterum non nôrimus, quæ benevolentia quidem mutua fuerit, neque interim amicitia, ob defectum hujus attributi. Atqui, quando Socrates amat Platonem, Plato Socratem, licet ille hujus, hic illius, amorem nesciat, quia tamen uterque amat atque amatur, videtur esse amicitia, quamvis lateat! Respondeo, non esse amicitiam propriè, sed requiri, ut Socrates sciat se amari à Platone, & Plato, se amari à Socrate, quod ubi fit, eâdem operâ fit mutatio quædam in subjectis, eò quòd, cùm antea nescirent se amari, postea sciant, quæ cognitio multum confert ad constituendam amicitiam. *Efficax quorundam Benevolentia est Amicitia*, quia alioqui foret ignava & ociosa: jam verò decet amicum amico benè, non tantum velle, sed etiam facere, neque id suâ, verùm amici causâ. Quid enim

enim aliud amare, à quo nomen amicitiæ ductum, nisi velle quem bonis affici quàm maximis, etiamsi ad se ex his nihil redeat? Ubi notandum in transitu, quòd, quemadmodum priore notâ ab amicitiâ sejungitur mera & simplex benevolentia, ita hâc alterâ ab eâ disjungi vulgares & fictas amicitias, in quibus privatæ utilitates ferè spectantur. *Objectum Amicitiæ sunt τὰ Φιλητὰ & Φιλητέα Aristoteli, quorum illa per se, hæc alicui talia, & Φίλα Platoni. Latinè Philosophantibus, altera Chara, altera Amabilia dicuntur.* eo sensu, quo amabilis virtus Ciceroni venit, hoc est, amore digna, non quo amabiles litteræ currunt eidem, hoc est, jucundæ suaves & amœnæ, licet hîc loci utrumque τοῦ φιλητοῦ vocabulo non absonè comprehendi posse videatur, saltem interpretativè. Probatur, Illud, circa quod versatur amicitia, & operatio ejus, est objectum illius adæquatum ac proprium, sicut ens intellectus, visibile visus: Tò amabile est hujusmodi: Ergò! Ubi illud in antecessum notandum, Aristotelem constituere objectum amicitiæ τὸ φιλητὸν καὶ φιλητέον eâ loquendi formulâ, quâ voluntatis objectum statuitur ab eodem τὸ βουλητὸν καὶ βουλητέον, secundum idiotismum Philosophicum, quo ea, quæ vulgò in scholis subjecta objecta strara dicuntur,

cuntur, in hanc terminationem τεχνικῶς desinunt, ut, τὰ θεωρητὰ, πρακτὰ, ποιητὰ, quorum illa Philosophiæ Theoreticæ, ista Practicæ, hæc Pojeticæ objectum Ἀριστοτελικῶς *Est autem* τὸ φιλητὸν καὶ φιλητέον, *Amabile & Amicabile, triplex numero, Honestum videlicet, Jucundum & Utile*, quia, cùm sit ποθεινὸν, optabile atque expetibile, rerum autem expetendarum tria constet esse genera, triplex quoque ut sit, necesse est, præsertim cùm amor, ex quo amicitia, & ipse sit appetitio quædam. Ubi iterum notandum, & quidem notanter, ex hoc ternario amabilium illud, quod honestum, materialiter includere, & jucundum, & utile, sicut corpus materialiter includit lineam & superficiem, à quibus interim formaliter differt, ut sit quoddam quasi genus jucundi & utilis, omni honesto existente jucundo & utili, non contrà. Quamvis enim aliquandò concurrant materialiter, ut idem sit honestum jucundum atque utile, differunt tamen formaliter, sive secundum suam rationem formalem, eò quòd honestum de naturâ suâ semper sit bonum rationi consentiens, utile verò & jucundum non semper, quorum alterum allubescit, alterum alterius causâ expetitur. *Ex hoc Objecto Amicitiæ ea condividitur in Amicitiam*
Æqui-

Æquiparantiæ inter Pares, sive Simplicem, & Disquiparantiæ inter Impares, sive Analogicam. Amicitia Æquiparantiæ est, in quâ vel eadem planè, honestas, v g, pro honestate, utilitas pro utilitate, voluptas pro voluptate, vel permixtim alterum pro altero, v g, pro voluptate utilitas, pro utilitate voluptas, par tamen pro pari, aqué paribus, quorū neuter alterum antecedit, vel dignitate, vel imperio, redditur. Ut enim alius alio melior utilior & jucundior esse possit, quod excellentiæ, tamen bonus utilis & jucundus unus alteri pariter esse potest, quod æqualitatis. *Estqué triplex, Honesta, Utilis, & Jucunda.* Quot enim sunt amabilia specie distincta, tot quoque sunt amicitiæ: Atqui tria sunt amabilia specie distincta;. Ergò! Ratio sequelæ est, quia potentiæ & habitus distinguuntur per operationes & objecta, & sic ex diversitate objectorum sumitur diversitas operationum potentiarum & habituum: Quot ergò objecta, totidem & actiones: Amor autem est actio: Si igitur tres sunt amores, totidem quoque erunt amicitiæ. Etenim sua cujusque habitus est actio, cumqué hujus habitus actio sit amor, certè quot amoris, totidem & amicitiæ erunt genera ex hoc capite. *Amicitia Honesta* est, quæ ex virtute, sive honestatis

honestatis causâ, contrahitur inter bonos viros. *Estque ea Perfectissima, Stabilissima, Rarissima, denique* Ἀνέγκλητος καὶ Ἀδιάβλητος, *non obnoxia suspicionibus criminationibus & querelis, in comparatione. Perfectissima*, tum quia amat id, quod est simpliciter amandum, puta, virtutem sive honestatem, tum quia hîc amici se invicem amant propter seipsos, alter alterum propter ipsum, illius non suâ causâ, non propter aliud, inquam, cùm amici ex virtute se inter se ament, non aliâ de causâ, quàm quia sunt boni. Neque enim utilitates aut voluptates spectant, sed ipsissimam virtutem, & ob hanc solam se inter se amant, cumquè vident aliquem studiosum sibi similem, huic se applicant, procul utilitatis & voluptatis compendio, quæ aliò spectant, suntquè in categoriâ collationis. *Stabilissima*, tum quia ex virtute, fonte stabilissimo & perenni, tum quia, quæ in amicis requiruntur, in hâc junctâ reperiuntur omnia, nempè bonum utile & jucundum, idquè per se, quæ constat esse maximè amabilia, magis certè, quàm ea, quæ ex eventu, jam verò nemò dissolvit amicitiam, in quâ, quæ ab ullo exspectes, insunt omnia, ut hoc loco, cùm viri boni, qui subjectum hujus amicitiæ, simul utiles & jucundi sint, tam

absolutè,

absolutè, hoc est, sibi secum, quàm respectivè inter se, sequente virtutem utilitate & voluptate, non utilitatem & voluptatem virtute, amicitiâvé ex virtute, quam sequitur utilitas & voluptas, non hæc illas, tum quia hæc amicitia non subitò aut repentè, sed interposito tempore, nascitur, eò quòd verè amici inter se esse nequeant, qui priùs se inter se non nôrunt, seseque mutuò tentârunt, periclitatiqué sunt, digninè sint, qui amentur & redamentur, juxta proverbium, aut veriverbium potiùs, quo vetamur cum quoquam contrahere fœdus amicitiæ, antequam modium salis cum eo comederimus. Dices fortè, multos brevi tempore fieri amicos! Non magis, inquam, quàm chares Quemadmodum namque non continuò sunt verè inter se chari, qui externa amicitiæ officia præstant, ita nec amici, qui nulli esse possunt, nisi priùs fuerint chari. Usque adeò, sicut quis potest operari operationes studiosi, etiamsi non habeat virtutis habitum, sic fieri posse videtur, ut aliqui agant tanquam amici, cùm reverà non sint amici, sed habeant tantùm voluntatem contrahendi amicitiam, quæ voluntas, & quod studium amicitiæ, citò esse potest, amicitia non item. *Rarissima* hinc ideò, quia pauci dantur viri boni, quos inter

solos

solos tamen est hæc amicitia. *Atque hæc est causa, quare in hàc amicitiâ πολυφιλία non habeat locum*, tum quia fieri nequit, ut multi tam exactè explorentur ac cognoscantur, atque heic opus, tum quia vera amicitia in summo gradu est posita, excellentiæ autem non in multos, sed in unum ferè, ut summum, cadere solent, unde Cicero multos quidem ait fuisse mediocres Oratores & Ictos, eximios non item, sed singulos singulas ferè ætates ferre, atque hinc tam pauca paria amicorum, tam apud Græcos, quàm apud Barbaros, inveniuntur, fortean ideò, quia multos summo amore complecti æquè difficile, ac multas adamare amasias pari intensi amoris gradu, tum quia multos eidem placere valdè non est facile, ob diversitatem humorum & ingeniorum, quæ non permittit, ut multi ita consentiant, ut uni eidemquè omnes placere & chari esse possint, idemquè iterum omnibus, tum quia, qui omnibus student esse amici, non sunt veri amici, sed Politicè & civiliter potiùs, quia, qui ubique est, ille nusquam est, nullusquè amicus, cui multi amici, amoris vi in multos distractâ evanescente, non secùs ac flumine in varios rivos deducto, tum quia, qui mihi sunt amici, eos omnes etiam inter se amicos esse convenit, cùm unâ

unâ eos omnes vivere oporteat, unâ autem omnes vivere nequeant nisi amici, tum quia convictus multorum, seu cum multis, συναδύνατο, cum multis, inquam, versari, & se tanquam in multas partes dividere ac distrahere, & tanquam scortum cum multis rem habere, hoc tantùm non ἀδύνατον, quoniam, si v g ex multis unus roget ad cœnam, alius ad funus, alius ut in foro sibi sis advocatus, alius vocet ad nuptias, ad iter alius, alio alius, pecuniam mutuam roget alius, alius vestem, omnes eodem tempore, nemo par omnibus esse potest, sicut nec ex animo dolere & lætari simul, id quod tamen in amicorum multitudine sæpè usuvenire necesse est, ut quia aliorum res prosperæ, aliorum verò adversæ, uno eodemqué tempore, & lætandum sit, & dolendum, quin immò in perpetuis agendum doloribus & angoribus, cùm fieri vix possit, ut in magnâ amicorum multitudine nemo sit in calamitate. Quorsum Hesiodus næ salubri præcepto voluit, ut neque nulli essemus amici, neque multis, οὐδὲ ἄφιλοι οὐδὲ πολύφιλοι, ἀλλὰ φιλόφιλοι, quæ πολυφιλία apud Scythas olim æquè infamis fuit, atque apud alias gentes πολυανδρεία, sive unius mulieris cum multis viris consuetudo. Scilicet, ut rem mittam in compendium verbo-
rum,

rum, multitudinis amicorum modus quidam esse debet, nō secùs ac civitatis. Nam in civitate, si nimis multi sint cives, non tam civitas quàm natio quædam erit, v g, si centum millia sint civium, contrà si nimis pauci, jam quoq; non erit civitas, v g, si decem aut viginti sint cives. Modus est civium aliquis, ut neque nimis multi, neque nimis pauci sint, neq; tamen hic modus unus idemque est, & certus ac determinatus, cùm pro loci differentiâ, & aliis attributis, nunc major nunc minor esse debeat civium numerus: Extrema quidem certa ac definita esse possunt, ita ut nimium constituere possimus centum millia, parum decem cives, sed inter hæc extrema interjectus modus interim variat. Quemadmodum ergò in civitate definitus est civium numerus, ita & in amicitiâ amicorum. Ac in civitate quidem multitudinis modus capitur ex rerum copiâ, in amicitiâ verò ex convictu, id est, tot possunt esse cives, quot ager & locus commodè potest alere, similiter tot amici, quot unà vivere possunt. Dices fortè, bonum quò communius hoc communicabilius! De essentiâ, at non existentiâ, præsertim in summo relationis gradu, constante relato & correlato, amante, inquam, & amato, per excellentiam amoris ab uno ad alterum insigniter ta-

lem, qualis amicitia non eſt diffuſiva ad plures, ut omne ſummum. Habebat Alexander Magnus multos duces ſibi familiares gradu amicitiæ medio, verùm unum Hephæſtionem φιλαλέξανδρον, unumquè Craterum. φιλοβασιλέα, gradu amicitiæ ſummo. *Denique* Ἀνέγκλητος καὶ Ἀδιάβλητος, *nullis ſuſpicionibus criminationibus & querelis obnoxia eſt hæc amicitia*, tum quia de iis, quos longo jam tempore ſpectaveris, non facilè credas crimina aut calumnias afferentibus, tum quia in veris & verè amicis omnia reperias, quæ deſiderare poſſis, quæ res nullum locum relinquit injuriis, ex quibus alioqui querelæ & crimina naſci ſolent. *Amicitia Utilis* eſt, quæ utilitatis causâ contrahitur, inter malos inter ſe, bonos & malos, & neutros, hoc eſt, non prorſus bonos aut malos, tam inter ſe, quàm cum vel bonis, vel malis, adeoqué inter quoſvis homines. Cunctis ſiquidem hominibus contingere poteſt amabile eſſe utile, tam bonis, quàm malis, illis per ſe & ſimpliciter, his per accidens, & ſecundum quid: Inter malos, quia ubi in malis reperitur utilitas, mirari haud convenit, amicitiam quoque inter hos conciliari mediante utilitate: Inter bonos & malos, quia cum bono τὸ utile quoque eſt connexum, cùm omnia in

ſint

sint bono, quo fit, ut utilis bono interdum sit malus, hácqué ratione inter se sint amici: Inter neutros, quia & improbi inter se, & his boni quoque amici, ex eventu tamen, ratione putà utilitatis, per se autem amici soli boni, ut qui ament inter se, quâ ratione amabiles, non quâ utiles. *Estquè hæc Amicitia Imperfecta, Instabilis, Frequens, & Ἐγκλημαλική, suspicionibus, inquam, & calumniis obnoxia in comparatione. Imperfecta* hactenus, tum quia est inter eos, qui seipsos non propter se, sed propter aliquid aliud, amant, non simpliciter amandum, tum quia est amicitia tantùm similitudine quadam, eâtenus amicitiæ nomen merens, quia ut boni, quos inter vera amicitia, inter se utiles, ita & hanc constituit utilitas, quæ ideò amicitia dici potest, sicut civitates inter se fœderatæ, quod utilitatis ferè causa fieri solet, amicæ vulgò dici solent, tum quia in hâc non omnia φιλητὰ concurrunt, verùm τὸ utile tantùm. Neque enim facilè reperiuntur, qui sint amici propter utile & jucundum, hoc est, qui ob utrumque simul, vel ament, vel amentur, quia utiles plerumque non sunt joculares, nominatim homines quæstuosi & lucriones, ut avari & senes, qui ferè non curant voluptatem, ob excessum

dò, si inter eos sit similitudo morum, quâ ut paritur & paratur amicitia, ita retinetur & conservatur. Nam, si longâ consuetudine inter se periclitati alter alterius mores adamare cœperit, quia inter se congruunt, certè hi non facilè postea mutabunt aut discedent ab amicitiâ. *Frequens hinc, ut in quà locum habeat* πολυφιλία, *saltem faciliùs quàm in amicitiâ ex virtute*, tum quia utilitatum studiosi innumerabiles, tum quia ad hanc amicitiam contrahendam non opus multo & longo tempore. Quamvis nec hæc assertio scrupulo careat, quoniam amici ex utilitate non videntur posse esse multi hâc ratione, quia multis obsequium tribuere, & his succurrere, laboriosum & difficile, adqué vitam suam benè degendam impedimento, implicari alienis negociis, deservireque aliorum utilitatibus, id quod tamen hoc amicitiæ genus postulat. *Denique* Ἐγκληματικὴ, *suspicionibus querelis & calumniis obnoxia*, partim ob exigui temporis consuetudinem, partim, quia sicut ibi nullæ querelæ, ubi nulla, quæ desideres, ita contrà querelæ, ubi aliqua, quæ desideres, hoc plures & majores, quò plura & majora desidèrantur. Hinc videas in amicitiâ utili statim solere existere querimonias, quando analogia non eodem modo

tandem, quantum præstiterit, expectat: Cùm igitur omnia ad accipientem accommodentur, meritò hujus utilitate metiendum beneficium, æstimandaqué commoditas ejus, qui accepit, atque hæc debet esse mensura ac norma beneficii, hoc magis, quia accipiens scit, quanti sit beneficium collatum, qui ideò statuere potest, immò debet, repensionem. 4. Quia etiam in foro rerum venalium precium statuit, non venditor, sed emtor. Etenim venditor ferè petit plus, emtor verò æstimat, quantum sibi utilitatis res afferre possit, ponitqué huic precium, quod sibi suisqué usibus videtur commodum esse & congruum. *Ad hanc amicitiæ speciem referas licet Amicitiam* Ξενικὴν *Hospitalem*, quia hospites amicitiam inter se colunt commodi, & divertendi vel adjumenti alicujus causâ. *Amicitia Jucunda* est, quæ voluptatis causâ contrahitur, itidem inter malos se inter, bonos item & malos, denique neutros, hoc est, non prorsus bonos vel malos, tam intet se, quàm cum bonis vel malis: Inter malos, quia ubi in malis reperitur voluptas, mirari haud convenit, amicitiam quoque inter hos conciliari mediante voluptate: Inter bonos & malos, quia cum bono τὸ jucundum quoque est connexum, cùm

omnia insint bono, quo fit, ut suavis bono interdum sit malus, hâcque ratione inter se sint amici: Inter neutros, quia & improbi inter se, & his boni quoque amici, ex eventu tamen, ratione putà voluptatis, per se autem amici soli boni, ut qui ament inter se, quâ ratione amabiles, non quâ jucundi. *Estque hæc Amicitia & ipsa Imperfecta, Instabilis, Frequens, &* Εγκληματική, *suspicionibus querelis & criminationibus obnoxia. Imperfecta*, tum quia & ipsa est inter eos, qui seipsos, non propter se, sed propter aliquid aliud, amant, non amandum simpliciter, tum quia est amicitia tantùm similitudine quâdam, eâtenus amicitiæ nomen merens, quia ut boni, quos inter vera amicitia, inter se jucundi, ita & hanc conglutinat jucunditas, quæ ideò amicitia dici potest, sicut pueros inter se amicos vocant, qui voluptatis & ludorum causâ inter se amant, tum quia in eâ non omnia φιλητὰ concurrunt, verùm τὸ jucundum tantùm, eò quod non facilè reperiantur, qui sint amici propter jucundum & utile, hoc est, qui propter utrumque simul, vel ament, vel amentur, (eccur?) quia voluptatis amantes, ut luxuriosi & nepotes, de utili aut quæstu parùm ferè laborant. *Instabilis*, quia similiter res, ex quâ hæc amicitia coalescit,

alescit, est fluxa & mutabilis Voluptas certè non semper manet eadem, quia ea, quæ jucunda sunt, alia atque alia existere solent, pro mutatione ætatis, quâ mutatâ, mutantur & jucunda. Neque enim eadem adolescentibus, (quorum amicitia ex voluptate, propterea quòd turbulentis ferè animi motibus, non ratione, ducantur, ideoqué, quemadmodum citò diligere incipiunt, ita & desinant, præsentem spectantes voluptatem, non futuram, de quâ parùm laborant,) quæ pueris, juvenibus, viris, senibus, jucunda: sed nec faceti semper chari, nisi fortè in conviviis, in vehiculo, in itinere, in congressibus seriis & gravioribus non item: Quo fit, ut cùm jucunda facilè mutentur, amicitia quoque ex iis conciliata & ipsa mutetur facilè, nisi quod duobus modis possit fieri stabilis, si videlicet paria inter se faciant amici, hoc est, par pari reddant, non aliud, v g, voluptatem pro voluptate, non utilitatem & quidem eandem, atque ex eâdem causâ, ut si faceti voluptatem alter ab altero capiant ejusdem rei ratione, hoc est, ex facetiis uterque mutuis, & non ὁ ἐραστὴς amator voluptatem quidem ab ἐρωμένῳ amasio, hic verò contrà utilitatem & munera ab illo, si deinde inter eos sit similitudo morum. Nam si longâ

consuetudine inter se periclitati alter alterius mores adamare cœperit, quia inter se congruunt, certè hi non facilè postea mutabunt aut discedent ab amicitiâ, quomodo videas homines nequam & luxuriosos amare inter se ob similitudinem studiorum, quæ parens & conservatrix amicitiæ, mutuiquè convictus, quem tollit absentia, sed non ipsam interim amicitiam, saltem perfectam, cujus usum tantùm interrumpit, nisi diuturnior fuerit. Tunc enim non usum tantùm, sed ipsam quoque amicitiam extinguere videtur, juxta proverbia: πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν: Longè habitantes amici non sunt amici. Nam sicut à vivendo & conversando simul oritur amicitia, sic dissolvitur à contrario, ut omnis habitus, qui sicut augetur ab eisdem operationibus, à quibus oritur, ita corrumpitur à contrariis, Sed videtur scilicet. Ut enim amicitia tollatur absentiâ quoad actum, usumquè vitæ quotidianum, tamên non item quoad habitum, qui etiam esse potest inter dormientes, quare & absentes, præsertim quoad operationes amicitiæ interiores. *Frequens hinc, ut in quâ locum habeat πολυφιλία, saltem magis, quàm in amicitiâ ex virtute.* Ex virtute autem? Immò & ex utilitate, tum quia studiosi volu-

voluptatum plures, quàm utilitatum, tum quia ad hanc amicitiam contrahendam non opus longo tempore, sed sufficit exigua ejus consuetudo. Quamvis nec hęc assertio suâ difficultate careat, quoniam amici ex voluptate non videntur posse esse multi, eò quòd inter paucos voluptas sit interior, ideoquè suavior, sicut condimenta cborum, si multa affundantur, ingrata existere videmus, sin aspergantur tantùm, jucunda & grata. *Denique* Ἐγκλημαλικὴ *quidem & ipsa, sed minùs in comparatione.* Nam vel uterque amicus suavis alterius consuetudine delectatur, & sic neuter habet, quòd queratur, vel si alterutri alterius consuetudo minùs sit grata, licet illam intermittere, non item in amicitiâ utili, in quâ uterque plus appetit, quàm alter vult aut potest præstare. *Quo loco notandum in transitu, amicitiam hanc jucundam propiùs accedere ad amicitiam perfectam quàm utilem,* tum quia convictu gaudet, quem maximè amat vera amicitia, tum quia liberalior est, & magis ingenua, ut quæ amicitiam voluptate non quæstu metiatur, ut altera illa, tum quia eam captant beati, non item eam, quæ ex utilitate. Sed quare beati amicos jucundos magis quærunt, quàm fructuosos? Nam hoc fortè roget aliquis. Quia, uti dictum,

convictu gaudent, qui cum hominibus non jucundis, quales Euclionesſive luciones, nullus eſſe poteſt. *Ad hanc Amicitiæ ſpeciem reducas licet Amicitiam* Ἐρωτικὴν *Amatoriam*, quæ eſt amantium & amaſiarum, inqué adoleſcentibus ferè hoſpitatur, in quibus affectuum incendia, & voluptatum deſideria, maximè reperiuntur, partes quæ ſunt amicitiæ amatoriæ. *E dictis amicitiæ ſpeciebus ſola amicitia boneſta eſt amicitia per ſe, amicitia verò utilis & jucunda amicitia per accidens, ſive ex eventu*. Illa per ſe, quia ii demùm verè ſunt amici, qui ita inter ſe amant, ut alter alteri bona, quæ vult, eâ re velit quia amat, nullam aliam ob cauſam: Hæ per accidens, quia hîc amici vel utilitatis vel voluptatis causâ inter ſe amant, ubi autem alter alteri bona, quæ vult, non eâ causâ vult, quia amat, ſed quia utilitatem aut voluptatem aliquam capit, certè hi amici, non per ſe, ſed ex eventu, ut cùm pauper amat divitem, indoctus doctum, non quia, quem amat ſibi ſit charus, ſed quia id, quod ab eo expectat, divitias, putâ, aut eruditionem. Sic homines facetos amamus, non tam propter ipſos, quàm propter facetias. Sed cur per accidens, ſive ex eventu? Quia enim, ſicut ea per ſe dicuntur, quæ nullâ rerum externarum habi-
tâ

tâ ratione suâpte sponte constant, ita contrà ea dicuntur ex eventu, quæ, quia aliquid, hoc vel illud, evenit, aut consequitur, constant. Scilicet propter ejusdem rei, nempè veræ amicitiæ, similitudinem & dissimilitudinem, sunt & non sunt amicitiæ nomine dignæ. Nam quâ parte sunt similes veræ, ut quia partim utilitatem partim jucunditatem complectuntur, quæ duæ res & in verâ insunt, hactenus amicitiæ esse videntur; Quâ verò parte veræ sunt dissimiles, ut quia vera est stabilis, & querelis ac suspicionibus vacans, cùm illæ sint & fluxæ, & criminibus ac suspicionibus refertæ, hactenus amicitiæ vix esse videntur. Paucis certè in rebus cum verâ amicitiâ conveniunt, in pluribus contrà disconveniunt. Vera namque amicitia per se, ex virtute, inter verè bonos, temporis & periclitationis egens, stabilis, rara, paucorum, summè jucunda, utilissima, alteræ verò ex eventu, & per accidens, ex utilitate vel voluptate, nonnullâ vel exiguâ cum periclitatione, nullo egentes tempore, fluxæ, crebræ multorum, non denique ita utiles aut jucundæ, ut illa prior. Ut ita, cùm amicitia dividitur in honestam utilem & jucundam, non sit hæc divisio univoci in sua univocata, sed analogi veriùs in analogata.

Ami-

Amicitia Disquiparantiæ est personarum inæqualium conjunctio, quando alter amicorum alterum antecellit dignitate, potentiâ, divitiis, autoritate, virtute, sexu, ætate, doctrinâ, vitæ conditione, & si qua sunt alia φιλητὰ gradibus differentia, singulis in hâc conjunctione convenientia, cùm accipientibus, tum reddentibus, proportione Geometricâ. Ἐν ἀξίᾳ, ἡ κατ' ἀξίαν appellant aliter; excellentiæ sive præstantiæ amicitiam Cicero. Næ benè! Sicut enim in amicitiâ æqualium dominari videas æqualitatem κατὰ τὸ πόσον sive numeri, ita in amicitiâ inæquali æqualitatem κατ' ἀξίαν sive dignitatis. Est quidem æqualitas amicitiæ propria, quam ideò paribus officiis definiri ait modò laudatus Cicero, sed non simplex & absoluta, sive quantitatis & Arithmetica semper, quæ magnitudine & numero describitur, verùm κατ' ἀξίαν, & τῷ λόγῳ ἢ ἀναλογίᾳ quoque, sive qualitatis & Geometrica, quæ dignitate & proportione condescribitur, ita ut magis v g ametur ex hoc capite, quàm amet, præstantior dignitate, imperio, fortunæ ingenii virtutis bonis; servatâ in officiorum reciprocatione æqualitate, non simplici absolutâ Arithmeticâ, sed comparatâ analogicâ Geometricâ, idquè tum ratione ipsius excellentiæ, tum ratione

eorum,

eorum, quos inter est excellentia, partim, quia eorum, inter quos est hæc excellentiæ amicitia, non eadem omnium virtus, idemquè munus & opus, sed alia virtus hujus, alia illius, aliud officium hujus, aliud illius, ubi autem alia aliorum virtus & officium, ibi alia atque alia amicitia, & non eadem omnium, eò quòd virtutum & officiorum comes sit amicitia, partim, quia alia in aliis sunt amabilia seu chara, ideoquè non eadem etiam hoc nomine amicitia, ut quæ ex illis existat, iisquè variatis variet. Ut rem mittam in compendium verborum: Si inter dispares est amicitia, ut est, amor quoque uti dispar sit, necesse est: Quare & officia, quæ amicitiæ quasi usus & fructus, officiorum inæqualitate consequente amoris & amicitiæ dissimilitudinem, quæ, quò major, hoc magis impedimento amicitiæ, ut aut planè impediat ortum ejus, aut jam ortam dissolvat, ut si cum regibus longè inferiores vellent contrahere amicitiam, aut cum sapientibus & præstantibus virtute viris homines nihili, aut nulli rei, qui cùm nequeant simul conversari & vivere, eo ipso nequeunt esse amici. Roges fortè, si distantia & dissimilitudo amoris & amicitiæ, vel impedit, vel dirimit amicitiam, quanta ea esse debea , ut vel maneat, vel non

non maneat amicitia? Respondeo, eos distantiæ gradus definiri exquisitè, atque ad unguem, non posse, interim hoc tenendum esse, non dissolvi ocyùs amicitiam disparitate, sed tum demùm, ubi talis fuerit facta distinctio amicorum, qualis est v g hominis à Deo. Finge enim duos inter se amicos, ætate, virtute, genere, divitiis, honoribus pares, quorum alter postea tantum non omnibus his excedat, ita ut magna virtutis, major morum, maxima studiorum atque exercitiorum, sit distantia, hi certè amici propterea esse non desinent, sed benè, si alter cœperit esse inemendabiliter improbus, quo in casu non modò diluenda sive deluenda remissione usus amicitia, sed etiam delenda, & dissuenda primùm, mox discindenda, ne videatur frugi amicus esse φιλοπόνηρος, cùm tamen naturâ suâ malum non sit φιλητὸν bonis, nec malus φιλητικός. Quid ergò? Servabitur, inquam, inter illos duos, non obstante disparitate, nihilominùs amicitia, sicut in superioribus servantur inferiora, triangulus in quadrato, nutriendi facultas in sentiendi facultate, at non sine aliquâ permutatione, experimentum quæ est veræ amicitiæ, veriqué amoris. Quæ illa? Ex amicitiâ ἐν ἰσότητι sive æquiparantiæ, fiet amicitia ἐν ὑπεροχῇ sive disquiparantiæ.

hoc

hoc modo, ut ille, qui remansit in eodem gradu, tribuat excellentiori, quod ei est tribuendum ex officio amicitiæ, consistentis in excellentiâ, ille verò, qui infinitis partibus altero factus est superior, conservet memoriam minùs excellentis, huicque magis gratificetur, quàm alienis, pristinæ amicitiæ recordatione, & præsentis intuitu. Et certè, quid impediat, quò minùs v g modestus fœdus amicitiæ ineat cum magnanimo, liberalis cum magnifico, mediocriter doctus cum insigniter docto, gradu non habitu differentibus, non quidem ut par cum pari, sed ut similis cum simili, non obstante inæqualitate, tollente paritatem, non similitudinem, quæ esse potest etjam inter æquales, quo de argumento quædam notavimus suprà in loco. *Amicitia hæc Disquiparantiæ vel Naturalis est, vel Civilis.* Ex societatis jure utraque, sed non æquè, quoniam altera earum ex societate tota pendet, alterius verò etiam aliæ sunt causæ, putà, sanguinis necessitudo, & morum ac humorum similitudo. *Amicitia Naturalis* est, quam naturæ vinculum conciliat. *Estquê vel* Συγγενικὴ *Cognata, vel* Γαμικὴ *Nuptialis, vel* Συμπαθητικὴ *Sympathetica. Amicitia* Συγγενικὴ *sive Cognata* est inter eos, qui san-

sanguinis propinquitate se invicem contingunt. *Estque vel* Πατρικὴ *Paterna, vel* Ἀδελφικὴ *Fraterna, vel* Συγγενικὴ *in specie sic dicta*, quas inter paterna fons, è quo manant & promanant reliquæ. *Amicitia* Πατρικὴ *sive Paterna* est, quæ est inter Parentes & Liberos, qui licet parentum sint quædam veluti pars, ideoqué à Jurisconsultis habeantur pro unâ quodammodò personâ, illis diligentibus hos, tanquam sua membra, eò quòd liberos amando videantur seipsos amare, quia sunt quasi alteri ipsi, non planè ipsi & uni tamen, sed alteri, quia reverà separati, eo modo, quo amicus est alter ipse, his contrà illos naturaliter redamantibus, tanquam ortus sui principium, à quo post Deum, non tantùm habent τὸ esse, sed etiam τὸ benè esse. differunt tamen: I. Quia in hâc amicitiâ non præstantur paria officia alteri ab altero, sed satis est, si liberi parentibus, quæ par est, & hi contrà liberis, præstent, eò quòd non idem hîc sit jus illis & his, his & illis: Jam verò, quantum juris intercedit, tantùm & amicitiæ, arctioris laxiorisvé, prout illud est arctius laxiusvé, unde, quomodo parentes se gerere debeant erga liberos, & hi erga parentes, sciscitari, id nihil aliud esse dicunt, quàm quid inter hos juris sit, quærere. II. Quia parentes

rentes nescio quomodo magis sunt conjuncti liberis, quàm liberi parentibus, quemadmodum id, à quo aliquid est ortum, conjunctius est orto, quàm ortum ei, unde est ortum, pictor v g magis conjunctus tabulæ pictæ, quàm hæc pictori, quia ortum proprium est ejus, à quo est ortum, cujus est pars quædam, non contrà. Sed cur pars totius est propria, non contrà totum partis, liberi parentum, non parentes liberorum? Quia enim pars à toto vim suam omnem habet, in eoquè continetur, & sic liberi à parentibus, in quibus ratione originis velut continentur. Sicut ergò major affectio totius ad partem, quàm partis ad totum, ita magis cognatum generans generato, parentes, inquam, liberis, quàm generatum generanti, liberi parentibus. III. Vel ideò etiam, quia parentes meliùs nôrunt liberos esse suos, quàm hi illos essè suos parentes, cùm illis nota sit procreatio, his non item, interquè parentes mater. Undè alicubi moribus receptum, ut liberi sequantur patrem in publicum prodeuntem, præcedant verò matrem: Eccur id? Quia enim mater meliùs novit liberos esse suos, quàm pater, qui sæpè domo abest, dum procreantur liberi. IV. Quia longinquior est parentum adversus liberos, quàm horum adversus

sus liberos, quàm horum adversus parentes, amor. Parentes quippè amant liberos statim à primo ortu, liberi autem tum demùm, cùm eos cognoscere cœperunt, ferequé impensiùs iterum mater quàm pater, & quia magis his conjuncta, & quia magis hos novit, & quia diuturniùs amavit. Ubi notandum in transitu, amorem parentum, quo prosequuntur liberos, formaliter alium esse ab amore liberorum, quemadmodum amor pecuniæ alius ab amore honoris, hic à voluptatis, formaliter. *Amicitia* Ἀδελφικὴ *sive Fraterna* est, quæ est inter Fratres erga se invicem. Cujus amicitiæ causa ταυτότης, generis communio, educatio, ætas, mores, studia: Generis communio, quia ex eodem nati stipite, idem sanguis, eadem stirps, & ipsi quodammodò una eademqué persona, quamvis inter se ipsi interim sint diversi, non tam ratione sui tamen, quàm parentum: Educatio, cujus quanta & quàm amica atque amicabilis vis sit, notum vel ex collactaneorum amore & redamore: Ætas, quâ mediante fit, ut æqualis æqualem amet, inæqualem verò oderit, natu major v g frater natu minorem: Mores, quorum similitudo sicut copulat amicitiam inter sodales, ita & inter fratres, nisi quòd in fraternâ amicitiâ, conjunctam habente soda-

sodalitiam, omnia sint majora & aptiora: Studia, quæ mores ferè sequuntur, non κατὰ τὸ ἀεί, sed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ tamen. *Amicitia* Συγγενική *in specie sic dicta* est, quæ est inter reliquos præter Fratres, Cognatos, putà, Patrueles, Consobrinos &c. Ejus eadem, quæ fraternæ amicitiæ, origo. Nam quia ab iisdem majoribus descendunt, ideò se inter se amare solent. Et quia horum alii aliis ferè sunt propinquiores, alii verò remotiores ab autore generis, ideò amicitiæ inter hos varii existunt gradus, ut alios inter arctior sit amicitia, quò propior autor generis, vel laxior, quò idem remotior, quoque plura & perfectiora sunt φιλητά, ut cùm, præter vinculum & nexum sanguinis, ætas & morum similitudo accedit. *Amicitia* Γαμική *sive Nuptialis* est, quæ est Maritum inter & Uxorem, quoslibetvé Affines: Conjugalis aliter, Et ipsa secundum naturam, tum quia homo animal συνδυαστικὸν μᾶλλον ἢ πολιτικόν, ad uxoriam conjunctionem propensior, quàm ad civilem naturaliter, quæ absque eá consistere nequit, jam verò, quæ magis necessaria, eadem ferè etiam magis naturalia, tum quia ea hominibus communis cum bestiis, quod autem tale, illud magis naturale, licet non ad eundem modum, eundemqué finem, sit communis,

cùm

cùm belluæ procreationis duntaxat causâ, hoc est, ut sint, homines verò etiam, ut benè sint, id est, non hujus tantùm causâ, sed totius vitæ, & convictus, atque mutui auxilii causâ, in hanc vitæ conjugalis societatem conveniant, tum quia liberi sunt commune bonum utrique conjugi naturaliter, vinculumqué conjugii, ipsâ communitate id continente, arctiusquè devinciente, ut vel illud argumento esse potest, quòd, qui carent liberis, hi non ita se invicem ament, facilequé inter hos òriantur dissidia & divortia, vel experientiâ teste. *Amicitia* Συμπαθητικὴ *sive Sympathetica* est quorundam inter se occulta benevolentia, etiamsi nihil aut parum conversationis his in antecessum intercedat, de quâ accipiendus locus Martialis, cùm ait:

Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare,
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

Tantum de Amicitiâ Naturali: *Amicitia Civilis* est, quæ oritur ex Societate Civili, neque tam ex naturæ nexu, quàm humanis pactionibus, conglutinatur, cui naturæ opponitur pactum. *Estquè vel inter Imperantes & Parentes, vel inter Ipsosmet Parentes. Amicitia inter Imperantes & Parentes, vel Vera est,* vel

vel Apparens : *Vera iterum, vel Monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica*, ex quibus illa respondet Amicitiæ Paternæ; ista Conjugali, hæc Fraternæ remissivè. *Amicitia Monarchica* est, quam inter se mutuò colunt Monarcha & Cives Monarchici, pro dignitate, hoc est, servatâ æqualitate Geometricâ, non Arithmeticâ. Ut enim non idem jus est civi adversus regem, quod huic adversus civem, ita & amicitia non est æqualis. Etenim regem observat & colit civis, tanquam superiorem, non contrà rex civem, quia honor est præmium excellentiæ, quod amplius debetur imperio virtute aut quâ alia re præstantibus. Sic excellens v. g. divitiis largietur quid egeno, at hîc contrà eum honorabit & observabit. *Respondet amicitiæ paternæ.* Ut enim rex subditorum curam agit publicè, ita pater liberorum privatim, nisi quòd majora parentum, quàm regum, sunt beneficia, cùm liberi à parentibus, & τὸ εἶναι, vitam ipsam, & τὸ εὖ εἶναι, benè vivendi rationem, alimenta, inquam, & honestam educationem, accipiant: Ut rex inter subditos excellit virtute, dignitate, autoritate, item pater inter liberos: Ut rex subditos suos amat, humaniterquè tractat, ut ab iis redametur, item pater liberos eâdem fini;

Ut

Ut rex nihil, nisi quod honestum, subditis præcipit, item pater liberis, instituens eos ad virtutis studium. Appellatione verò parentum etiam cæteri majores, & liberorum quoque reliqui minores ac posteri, intelligendi sunt, in quos eadem cum eis amicitia, putà excellentiæ. *Amicitia Aristocratica* est, quam inter se mutuò colunt Optimates, sive Archontes Aristocratici, & Cives Aristocratici, pro dignitate, hoc est, servatâ æqualitate Geometricâ, non Arithmeticâ. Ut enim non idem iterum jus est civi adversus optimates, quod his adversus civem, ob virtutem eorum eminentem, quæ causa hujus amicitiæ, in quâ, quantò alter alterum virtute & autoritate superat, tantò plus amoris & honoris convenientis accipere debet, ita & amicitia inter hos non est æqualis. Etenim optimates observat & colit heic civis, tanquam eminentiores, non contrà optimates civem, eò quòd honor sit præmium eminentiæ, quòd amplius debetur imperio & virtute excellentibus, quàm utriusque vel alterutrius expertibus. *Respondet amicitiæ conjugali*, quæ & ipsa κατ' ἀξίαν tribuit præstantiori, quæ sunt præstantiora, dum maritus pro dignitate imperat in iis, quæ virum decent, remque familiarem parat & curat, maritum

tum contrà observat & colit, familiæque, maximè ancillis, munia ac pensa dispensat, cibariaqué his, totiqué familiæ, præbet uxor, ex quâ officiorum partitione & descriptione, pro cujusque virtute, quasi aristocratia quædam similitudinaria existit, *Amicitia Democratica* est, quam inter se mutuò colunt Archontes Democratici, & Cives Democratici, pro æqualitate, non dignitate tamen, hoc est, servatâ æqualitate Arithmeticâ, non Geometricâ, quatenus pari heic jure cives sunt, vicissimqué parent atque imperant, æqualibus istactenus personis, æquali amore, æquali officiorum communicatione, æquali virtute, utqué sic paribus, non quasi nihil omninò hîc sit dissimilitudinis morum & fortunarum dignitatisvè, cùm qui extra collegium ἀρχόντων sunt, tantisper pro privatis habeantur, sed quòd à potiori fiat denominatio. *Respondet amicitiæ fraternæ*, quoniam fratres & ipsi inter se sunt æquales ferè, virtute, divitiis, honoribus, moribus, studiis, quæ causæ solent esse amicitiæ, licet impares interim sint ætate, cujus distantia si sit major, non amplius inter eos est fraterna amicitia, sed paterna, cùm natu maximus qui est fratrum, parentis instar habeatur, hisqué imperet

K velut

velut pater, (etenim senior ex fratribus junioribus patris est loco,) rectiùs facturus, si ut sodalis leniter hos moneret, quàm objurgaret, ut pater patruusvè. *Amicitia Civilis Vera sic habet, sequitur Apparens: Quæ vel Tyrannica, Vel Oligarchica, vel Ochlocratica*: Ex quibus illa respondet Amicitiæ Paternæ, sed Tyrannicæ, ista Conjugali, sed Oligarchicæ, hæc Fraternæ, sed Ochlocraticæ sive Anarchicæ. Dico apparens, quia in his deflexionibus amicitia quidem, sed valdè tenuis & exigua, exemplo juris, quod in his, vel est nullum, vel perexiguum: Jam verò in quâlibet societate tantum est amicitiæ, quantum juris quo cessante cessat amicitia, cujus proxima cum jure cognatio, quod constat esse æquale: Ut ita vel nulla vel exigua admodum hîc sit amicitia; quia nulla vel exigua æqualitas, ideoquè nullum vel exiguum jus, & per consequens amicitia. *Amicitia Tyrannica* est, quam inter se mutuò colunt in speciem Tyrannus, & Cives Tyrannici, pro dignitate, hoc est, quoquo modo servatâ æqualitate Geometricâ, non Arithmeticâ. Dico, quoquo modo, quia nihil vel parum est amicitiæ in tyrannide, sicut artificem inter & instrumentum, animam inter & corpus, dominum inter & servum,

rum, quos inter communicatio χρηστική, non φιλική, & sic tyrannum inter & subditos, illo ad se rapiente omnia, ut qui suam non suorum quærat utilitatem, eo modo, quo in herili societate domini, non servi, versatur utilitas. Sed cur artificem inter & instrumentum, animam & corpus, dominum & servum, nulla amicitia? Quia amicitia communitas, communitas autem nonnisi inter duos ad minimum, artifex autem & organum, anima & corpus, dominus & servus, sunt illa quidem duo, sed unius tantùm, ut quæ ad unius utilitatem spectent, organa ad opificis utilitatem, corpus ad animæ, servus ad domini, non suam, nisi ex eventu. Curatur quippè servus à domino, non servi causâ, sed sui, quia servi ægroti nullus usus. Quod postremum tamen de servo cum grano salis accipiendum. Quamvis enim servus nihil habeat commune cum domino, consideratus ut organum, cùm quicquid habet, id sit domini, tamen, quà homo, amicitiam colere potest cum domino cohomine, vel ideò, quia hominibus in universum intercedit jus aliquod cum iis omnibus, qui legum & conventorum societate nobis jungi possunt, quare & cum servis, qui homines, ideoqué ratione præditi, quare & juris capaces, igi-

tur & amicitiæ, intra humanitatem quæ est. *Respondet amicitiæ paternæ rigidiori*, utentis liberis ut servis, in eosque jus vitæ & necis exercentis cum Persis. Perperam, quia in dispares, hoc est, liberos & servos, non idem & par sed dispar debet esse imperium, ob juris disparitatem. *Amicitia Oligarchica* est, quam inter se mutuò colunt in speciem Archontes Oligarchici, & Cives Oligarchici, pro dignitate, hoc est, quoquo modo servatâ æqualitate Geometricâ, non Arithmeticâ. Dico, quoquo modo quia hîc imperat is, qui non virtute, sed divitiis antecellit & opibus, ideoqué subindè inæqualis est. *Respondet amicitiæ conjugali inconjugali*, cùm vel maritus omnia sibi arripit & vendicat, etiam muliebria officia, ut texere, nere, fusos ducere, potestatem quin etiam vitæ & necis in uxorem, vel uxor imperium sibi arrogat, id quod ferè factitare solent, vel formâ, vel divitiis, vel opibus & nobilitate superbæ, verbo, quando inter improbos conjuges harmonia & amicitia aristocratica non conservatur. *Amicitia Ochlocratica* est, quam inter se mutuò colunt in speciem Archontes Ochlocratici & Cives Ochlocratici, pro æqualitate, non dignitate tamen, hoc est, quoquo modo servatâ æqualitate Arithmeticâ,

meticâ non Geometricâ, nisi fortè per accidens. *Respondet amicitiæ fraternæ dissolutiori*, quando in domo, domino carente & rectore, omnia perturbantur munera inter conviventes fratres, tantum sibi domi sumente juris fratre puero vel adolescente, quàm viro, servo, quàm libero, ubique adeò qui præest, saltem præesse debebat, vix præesse videtur, quia autoritate caret, omnia omnibus ducentibus esse domi æqualia. *Denique Amicitia Ipsosmet inter Parentes* est, quam inter se mutuò colunt cives Monarchici, Aristocratici, & Democratici, suoquè modulo, Tyrannici, Oligarchici, & Ochlocratici. *Estquè illa vel Publica, vel Privata: Publica iterum, vel* Δημοτικὴ *Concivium, vel* Φιλετικὴ, Tribulium & Contribulium, vel Πολεμικὴ, Castrensium, vel Συμμαχικὴ Confœderatorum belli causâ: *Privata vel* Ἑταιρικὴ, Sodalium, vel Συστρατιωτικὴ, Commilitonum, vel Συμπλοϊκὴ ἢ Ἐμπορικὴ, Connavigantium & Connegociantium, vel Ὁδοιπορικὴ, Compere- grinantium, vel Ξενικὴ, Hospitum, quorum alii utilitatem, alii voluptatem, alii utramque sequuntur. Sed hæ amicitiæ species videntur potiùs esse species Amicitiæ Æquiparantiæ, quàm Disquiparantiæ, hîc tamen tractantur à Philo-

ſopho, & ejus exemplo à nobis. *Utraque hæc Amicitia, tam Æquiparantiæ, quàm Disquiparantiæ, in hoc tertio convenit, quòd criminationibus accuſationibus & querelis obnoxia ſit utraqne, magis tamen Amicitiæ Utilis reſpectu in comparatione, quàm Honeſtæ, vel Jucundæ: Non honeſtæ*, eò quòd non exiſtant accuſationes, ubi omnia, quæ cupias, ſuppetunt, nihilquè ampliùs deſideres, ubiquè eo, quod quæris, potiaris, id quod fit in amicitiâ honeſtâ, bonos viros inter quæ eſt, quorum proprium, certare utrinque officiis, neque tam emolumentum ab amico expectare, ut tantundem vel plus reddat, quàm benè de ipſo mereri, quoniam non in fructu, ſed in ipſo virtutis & honeſti amore, conſiſtit hæc amicitia, licet interim hoc ſtante, neque tamen obſtante, objurgationes & admonitiones hîc ſint frequentiſſimæ. *Non etiam Jucundæ*, eò quòd, qui ex eâ ſunt amici, iiſdem utrinque potiantur, aut ſi non, ipſi ſibi attribuere debèant, cùm ab eo, à quo voluptatem nullam capiunt, poſſint, cùm volunt, diſcedere, id quod in amicitiâ, ex utilitate quæ eſt, non ita facere licet, quoniam, ſi v g, tibi dedi centum coronatos, ſperans, quid aliud, ſi non reddas, poſſum te tanquam ingratum accuſare, in eâ amicitiâ,

citiâ, quæ ex virtute & voluptate, non item, quia utrinque aliud præstatur, cùm adest consuetudo & convictus: *Ergò Utilis*, ut in quâ utrinque querantur amici, se non assequi, quæ velint, altero eorum plus petente, minusqué se habere conquerente, quàm dignus sit, altero verò negante, sequè imparem esse reddendis, quæ alter postulat, profitente. *Ut ita in Amicitiâ Utili frequentes occurrant querelæ, sive ea sit Morum seu Moralis, aut quasi Moralis veriùs, sive Legum seu Legalis, quarum illa juri non scripto, hæc scripto, æquiparatur*, Nam ut in illo incerta omnia & infinita, in hoc verò certa omnia & definita, quippè scripto comprehensa, ad hoc exemplum in amicitia utili officia aliâs sunt incertiora & determinabilia magis potentiâ, quàm determinata actu, aliâs certiora, & determinata magis actu, quàm determinabilia potentiâ. *Amicitia Utilis quasi Moralis* est, quæ contrahitur incertis legibus & conditionibus, de re incertâ, quoad æstimationem seu precium. Dico, quasi Moralis, quia verè moralis amicitiæ, quæ ex virtute, est imitatrix, moralis similitudine quâdam, quoniam ut in illâ, ita & in hâc, nihil definiti aut certi, simulationequè, quoniam ut illa videtur propter virtutem esse, cùm reverà non sit, ut

quæ honestum specietenùs, & dicis, quod ajunt, causâ, utile autem verâ re persequatur, non tam dans amico beneficium, ut nihil inde emolumenti speret, quàm ut tantundem, vel plus etiam, & cum cumulo, accipiat, quasi non tam donârit, quàm commodârit, vel mutuò dederit, adeò quidem, ut nisi pro dignitate accepti, proquè facultatibus, quasi ex pacto recipiat, à sponte suâ & ultrò dante, quia in amicitiâ convenit omnia esse voluntaria, alterum ut ingratum accuset, cumquè benefacere videri velit, malit potiùs sibi benefieri, utile præferens honesto, in utriusque conflictu, contra officium viri moraliter boni. *Amicitia Utilis Legalis sive Legitima* est, quæ contrahitur certis legibus & conditionibus, de re certâ, quoad æstimationem seu precium. Habet quippè locum in rebus contrahendis & conventionibus certis ac definitis, pactoquè hîc definitur, quid alter amicorum alteri pro accepto beneficio reddere debeat. Scilicet hæc est illa amicitia, in quâ omnia subtiliter ad calculos revocantur, parquè pro pari exquisitissimè redditur, velut in emtione & venditione emtorem inter & venditorem. *Estquè vel Strictior, vel Laxior. Amicitia Utilis Legalis Strictior* est, in quâ, nullo interposito tempore, aut morâ, con-

continuò redditur beneficium, tanquam de manu in manum, sordidior quasiquè mercenaria & forensis hâc parte. *Amicitia Utilis Legalis Laxior* est, quæ amico ad satisfaciendum moram seu intervallum aliquod largitur, licet interim etiam hîc certum ac definitum sit, quid debeatur, quidquè & quantum reddi debeat, sed cum morâ aliquâ, ubi amico videlicet erit commodum. Liberalior priori in comparatione, ut quæ ex indulgentiâ & fide pendeat, ex indulgentiâ hactenus, quia si fortè postea non reddat alter, tamen cogi nequit, propterea quòd nulla harum rerum apud quosdam sint judicia, jusvé dicatur ad repetendum hujuscemodi nomina, ex fide hactenus, quia omnia hîc fidei permittuntur, eò quòd inter bonos benè agier oporteat, præsertim in bonæ fidei contractu. Atque ex hoc Aristotelis loco eâdem operâ apparet, olim omnium contractuum voluntariorum, v g, emtionis, venditionis, locationis, conductionis, mutui, depositi, nulla fuisse judicia, solâquè in fide contrahentium eos constitisse. Atque ita simul è dictis liquet etiam illud, quod erat probandum, in utroque amicitiæ ex utilitate genere querelas criminationes & accusationes reperiri, quando datorum & acceptorum non est par

K 5 ratio,

ratio, sæpiùs tamen in morali, quàm in legali, propterea, quòd in hâc omnia sint certa & definita, in illâ non item. Usquè adeò rebus certis, ubi scitur utrinque, quid datum, quidquè reddendum, ubiquè certis pactis agitur, vix querelæ exoriuntur, at ubi alter accipit, tanquàm ab amico, nihilqué redditurum se existimat, alter verò tantundem vel amplius expectat, eo in causu rixas & querelas exoriri necesse est. *Dixi utrinque. Neque enim tantùm in Amicitiâ, quæ inter Pares, sive Æquiparantiæ, sed etiam in eâ, quæ inter Impares, sive Disquiparantiæ, dissidia & querimoniæ reperiuntur*, vel ideò, quia ferè tota ex ùtilitate pendet Hoc ita esse, id verò Philosophus confirmat hoc trigario rationum 1, Quia etiam hic uterque amicorum sibi plus tribuendum existimet, tam inferior, quàm superior. Superior siquidem virtute plus sibi deberi putat, quòd bono semper plus debeatur, virtute autem? Immò & utilitate, quâ qui superior, næ ille sibi plus præstari æquum censet, eò quòd in nullam partem utili, æquam tamen partem tribui, iniquum habeatur: Contrà inferior plus quoque sibi deberi autumat, eò quòd, sicut honos virtutis & beneficentiæ præmium, ita utilitas & lucrum inopiæ sit do-

domesticum subsidium & præsidium. II. Quia aloqui non tam sit amicitia futura, quàm liturgia sive munus, cum onere, & per consequens querelâ, si unus alteri usque prosit, nullam vicissim ab altero capiens utilitatem. Quid enim aliud liturgia, nisi munus publicum, præstatio inquam, operæ vel pecuniæ, publicè annexum habens onus patrimonii exhauriendi. III. Quia, nisi ab inferiore superiori reddatur id, quod potest, non quod debet, ea res dirimat, minimùm turbet, amicitiam. Dico, quod potest, non quod debet. Si enim quis præstet amico quæ potest, officium fecerit. Nihil quippè postular aliud amicitia, nisi ut non tam pro meritis, quàm pro facultatibus, hoc est, id, quod potest, præstet amicus amico, amplius non item. utpote quod ne præstari quidem possit, quo exemplo videmus Deum & parentes, quibus pro merito satis retribui non potest, contentos esse, si pro facultatibus iis retribuatur, indeque adeò fit, ut si inferior, quod potest, hoc est, honorem, & gratiarum actionem, (ut enim referre gratiam nequeat, habere tamen, immò agere, potest.) superiori reddat, nihil sit, quod queratur superior. Ut breve faciam, si querelas in hâc amicitiâ, quæ est inter impares, utrinque evitare

velimus, superiori plus tribuamus honoris oportet, inferiori contrà plus lucri, neutri utrumque. Etenim, ut & honorem, & commodum, utrumque simul, quis capiat, næ illud æquè iniquum, ac si neutrum capiat. *Sic descripta Amicitia differt, & ab Amore Concupiscentiæ, & ab Amore Amicitiæ. Ab Amore Concupiscentiæ differt hactenus*, quia eo nos ipsos amamus nostrâ causâ, Habet siquidem hoc amor concupiscentiæ, ut in jucundum & utile tantùm feratur, sequens magis convenientiam cum inclinatione suâ, quàm convenientiam & similitudinem cum illo, à quo amatur, quæ res longè aliter se habet in amore amicitiæ, cùm per accidens tantùm sit amicitia, quæ jucunditatem aut utilitatem spectat, qui verò amatur amore amicitiæ, simpliciter & per se ametur, ideò scilicet, quia eum amare honestum est. *Ab Amore Amicitiæ differt hactenus*, quia, sicut benevolentia antecedit amicitiam, ut terminus à quo, amor amicitiæ concomitatur eandem, ut terminus medius, ita amicitia consequitur, ut terminus ad quem. *Amor hic Amicitiæ duplex est, Activus putà, & Passivus. Activus* est, quo amamus alios: *Passivus*, quo amamur ab aliis, aut redamamur potiùs, absque quo amore

&

& redamore, amicum inter amantem & redamantem, non magis datur amicitia, quàm sine fide conjugali, utrinque datâ & acceptâ, marem inter & fœminam, matrimonium, cùm non magis quis secum contrahere possit amicitiam, quàm contrahere secum matrimonium: Eccur id? Quia enim amicitia est amor reciprocus, v g, Socratis erga Platonem, & Platonis erga Socratem, isquè explicitus, non implicitus, similiterquè matrimonium consensus reciprocus manifestus partes contrahentes inter, non amantis contrahentisvè in numero singularitatis, sed amantium contrahentiumvè in numero dualitatis pluralitatisvè, dualitatis in matrimonio, pluralitatis in amicitiâ. *De hoc Amore Amicitiæ disputatur & controvertitur apud Philosophos, utrùm magis amicitia, quæ inde nomen accepit, consistat in illo, an in hocè* Ἐν τῷ *amarenè magis, an amari?* De sententiâ Aristotelis nullum potest esse dubium, qui prius confirmatum it sequentibus documentis. 1. Quia amicitiæ, tanquam virtutum comiti, virtutum, inquam, usufructui, ea magis conveniant, quæ sunt præstantiora & præstabiliora: Atqui amare est quædam actio, amari verò perpessio, actio autem præstantior perpessione: Ergò! Amicitia certè per amo-

amorem constituitur, amor autem est actio amantis, non amati, sicut honor actio honorantis, non honorati, agentis, inquam, non patientis: Ergò! II. Quia beneficio afficere sit laudabilius in comparatione, quàm beneficio affici: Atqui beneficio afficere est ejus, qui amat, beneficio verò affici ejus, qui amatur: Ergò! III, Quîa melius sit cognoscere, quàm cognosci, cùm illud in solis animatis, hoc etiam in inanimis reperiatur: jam verò amare est cognoscere, amari verò cognosci: Ergò! IV. Quia amare sit in potestate & arbitrio nostro, amari non item, &c. Quatuor hæc documenta idem ex superabundanti confirmatum it argumento maternæ amicitiæ, sive amoris materni erga pueros infantes, quos matres, quibus erga liberos amor est & amicitia summa, ament quidem, scientes hos esse suos, non laborent tamen, ut redamentur, quoniam id fieri nequeat per ætatem, cùm sint adhuc infantes, qui ne nôrint quidem matres suas: Ut ita satis sit matribus, nôsse liberos, eos videre salvos & incolumes, amareque, hisque benefacere, etiamsi nihil ab iis contrà sibi tribuatur, eò ferè modo, quo φιλόφιλοι, quos habent amicos, amant, non curantes, ut redamentur, quæ res argumento utique, amicitiam potiùs consistere

ſtere ἐν τῷ φιλεῖν, quod activum, quàm ἐν τῷ φιλεῖσθαι, quod paſſivum. *Ut verò in amare magis, quàm in amari, conſiſtat amicitia, & ratione ſui, & ratione amicorum, tamen non deſunt, qui amari potiùs malint; quàm amare*, quo de genere ſunt ferè ii, qui vel opibus & divitiis, vel honoribus, vel quâ ſimili re, excellunt, uno verbo, amici ambitioſi: Eccur? Quia amari propè idem, quod honorari, Amor namque eſt obſervantiæ & honotis quædam ſpecies, cujus illi ſunt cupidiſſimi. Unde & φιλοκόλακες exiſtunt, pluriſquè ſæpè faciunt adulatorem ſive aſſentatorem, quàm amicum, haud aliâ de causâ, quàm quia ab aſſentatoribus coli & obſervari conſueverunt, qui ut non ſemper ſint inferiores, (quod tamen communiter fieri ſolet, cùm generoſi vix aſſententur, ſed humiliores,) tamen & ſe tales eſſe ſimulant, & eos, quibus adulantur, amare potiùs ſtudent, quàm ab iiſdem amari, admirantes eos, omniaquè iis tribuentes, ſibi nihil. *Ubi notandum in tranſitu, quamvis τὸ amari & honorari valdè ſint finitima, differre tamen*, eòquòd honor ex eventu, nempè ſpe utilitatis ferè, amicitia verò per ſe, nullâ propoſitâ utilitate, expetatur, quorum illud Philoſophus probat duobus argumentis, tum quia multi inferioris con-

conditionis homines à potentioribus aut ditioribus honore quodam se affici cupiant, non tam quòd honorem expetant, quàm quod spem inde capiant, fore, ut ab iisdem aliud quid consequantur, quod sperant, indicium assequendæ rei, quam cupiunt, capientes ex honoris delatione, tum quia multi superioris conditionis homines hoc studeant, ut ab aliis honorentur, haud aliâ de causâ, quàm quòd existiment, se, dum honore afficiuntur, eo ipso haberi pro bonis viris, aliis stultè credentes, se esse bonos viros, ipsi interim apud se incerti de eâ re. *Extrema Amicitiæ duo sunt, alterum in Excessu, alterum in Defectu. In excessu ei opponitur Nimia Familiaritas, in defectu verò Solitudo. Nimia Familiaritas*, quâ turpibus & inæqualibus consociati contemtum nobis parimus, crucemquè figimus, fide pronuuciatorum: Melius est *φίλον ἔχειν πολλοῦ ἄξιον, ἢ πολλοὺς μηδενὸς ἀξίους*, sectari non quosvis, sed dignos amicitiâ: Conversatio parit contemtum, raritas ipsa conciliat autoritatem: in familiari consuetudine ægrè custodias opinionis augustum, continuo aspectu minùs verendos homines ipsâ satietate faciente, majoreque ex longinquo existente reverentiâ, quia omne ignotum pro magnifico:

Si

Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

Hinc Solitudo, quâ homines ut infestos fugimus, eorumqué consortia ægrè ferimus, austeritate ac morositate, parens quæ est vitæ abstractivæ, amicorum solitudinem pariente. Usque adeò, neque πολυφιλία, neque ἀφιλία probatur! Non πολυφιλία, sive nimia amicitia, ideò, ne necesse sit, unum solicitum esse pro pluribus, cùm satis superqué sit sibi suarum cuique rerum cura, alienis contrà implicari grave & molestum, si tanquam parturiat unus pro pluribus: Non ἀφιλία ideò, quia, qui vivunt sine amicis, eo ipso testantur, se aliorum mores non posse ferre, idquè operam dare, ne cui pareant, verùm libertate utantur, cujus proprium, sic vivere, ut velis, quod qui faciunt, næ illi generi humano renunciant, aliumquè moliuntur mundum instar puerorum, cumquè Domitiano venantur muscas. Quid medii? Commodissimum fuerit, sic laxare habenas amicitiæ, ut eas vel adducas, cùm velis, vel remittas, pro re natâ. Quod si quandoque captanda solitudo, ea capienda & capessenda animo potiùs, quàm loco, qui non multum ad tranquillitatem confert,

sed

ſed animus ſibi intentus, nec avocatus ad externa, vitâ monachum faciente, non loco. Scilicet miſcenda atque alteranda ſolitudo & frequentia, alterâ alterius exiſtente remedio, odio turbæ ſanante ſolitudinem, tædio verò ſolitudinis turbam. Juvat loco coronidis in calce aſſuere dubia contra receptam in diatribis Philoſophorum de amicitiâ doctrinam, eâdemquè operâ imponere colophonem huic operi. Objiciunt primò, tractatum de amicitiâ pertinere ad Oeconomicam & Politicam, ergò non ad Ethicam! Immò ad omnes tres diſciplinas diſtinctè. Ut enim amicitia reſpicit vitam hominis, ſub dirigibilitate ad ſummum bonum hominis, ut ſic, ſive ſub hoc conceptu objectivo & formali, pertinet ad Ethicam: Ut eadem reſpicit ſummum bonum domus ſive familiæ, ut ſic, ſive ſub hoc conceptu objectivo & formali, pertinet ad Oeconomicam: Ut denique reſpicit ſummum bonum civitatis ſive Reipublicæ, ut ſic, ſive ſub hoc conceptu objectivo & formali, pertinet ad Politicam. Objiciunt ſecundò, amicitiam non eſſe in poteſtate hominis, ut in quo non ſit ſitum, ut ab alio ametur & redametur: Quare nihil minùs eſſe, quàm virtutem! Saltem virtuti ſimilem, Ut enim in Socrate non ſit ſitum, ut ametur

à

à Platone, si tamen Platonem amet Socrates propter virtutem, næ ille amici officium præstat. Objiciunt tertiò, philantiam, sive suiipsius amorem, non dari, cùm ut justitia ita amicitia semper sit ad aliud, aut dari quidem, verùm mollem effœminatum delicatulum! Immò masculum, qualis mentis & virtutis suæ causâ, memoriæ, laudis, gloriæ, qui fit, quà naturaliter & inchoatè, quà moraliter & perfectè. Quod attinet justitiæ parallelismum, næ ille ἀπαράλληλος, quia amicitia versatur quidem circa idem cum eâ objectum materiale, nempè bonum alteriùs, at non circa idem objectum formale, quod aliud illius, aliud hujus. Objiciunt quartò, benevolentiam esse proprium amicitiæ, ergò non principium ejus! Immò verò utrumque, illud moraliter, cùm sit habitus, inclinans ad benè volendum, quod proprium amicitiæ, hoc naturaliter, non quatenus nomen habet à benè tamen, sed à bono. At cujus amicitiæ principium benevolentia? Honestæ honestæ, inquam, non utilis, aut jucundæ: Non illius, quia qui beneficium accepit par relaturus, non tam benevolus est, quàm justus & gratus, sique alteri benefaciat spe retributionis amplioris, næ ille erga seipsum potiùs est benevolus, quàm erga alterum: Non

etiam

etiam hujus, quia eadem amicitiæ voluptuariæ ratio, quæ fructuariæ & fructuosæ. Objiciunt quintò, concordiam esse effectum, ergò non causam amicitiæ. Immò verò utrumque, causam antecedenter, sumtam pro habitu, effectum consequenter, sumtam pro actu consentiendi in rebus, non tam contemplandis, quàm agendis. Objiciunt sextò, beneficos seu benefactores magis amare beneficiarios suos, quàm hi illos, ergò inter eos non dari exactam amicitiam, ob proportionis defectum, & per consequens beneficentiam non videri principium amicitiæ! Putà internum, at benè externum, dum alteri beneficia tribuunt, retribuunt alteri, neque interim ad eum modum, quo creditores debitoribus. Etenim creditores debitores amant sui commodi causà, quò ab iis possint recipere debitum, benefactores contrà amant suos alumnos, sive beneficiarios illorum ipsorum causâ, non ut vicissim ab ipsis beneficia accipiant, quæ si rependant, non meliùs merentur retribuendo, quàm alteri tribuendo, quoniam beneficia ex occasione, & per accidens, non primariò & per se, persolvuntur, neque ut debita civiliter, sed moraliter Objiciunt septimò, conversationem sive convictum sequi amicitiam contractam, non ante-

antecedere contrahendam, ergò malè ſtatui ejus principium? Immò benè, verùm diverſimodè. Antecedit quippè naturaliter, ut ſic principium ejus, ſequitur moraliter, ut ſic principiatum & conſequens, antecedens amicitiæ contrahendæ, conſequens contractæ. Objiciunt octavò, felicitatem eſſe bonum per ſe ſufficiens, ergò non indigere amicis felicem! Immò verò indigere, cùm felicitas non ſit bonum ſimplex, ſed cumulatum, indigere, inquam, ſi minùs internè, & quoad actionem amicitiæ immanentem, hoc eſt, reſpectu noſtræ erga alios benevolentiæ, quæ eſſe poteſt vel in felici contemplativo, toto defixo in contemplatione, v. g. Thalete aliquo, aut Pythagorâ, Antonio aut Hilarione, erga omnes bonos, etiamſi cum illis non converſetur, quoniam ut ſic felix ſeipſo eſt contentus magis, quàm amicis, ſaltem externè, & quoad actionem amicitiæ tranſeuntem, non quoad eſſentiam, ſed exiſtentiam, ad amicum vitæ ſuæ externum ſocium, etiamſi nunquam eum viderit, quoniam extraordinaria non tollunt ordinaria, nec ordinata ſubordinata. Objiciunt nonò contra definitionem amicitiæ, & adjuncta ejus eſſentialia, benevolentiam amicorum non ſemper eſſe mutuam, non utique, ſi in-

interveniant adjuncta, ob quæ quis amari sit indignus, sive, indignus qui ametur. Quasi verò τὸ redamare sit quid inseparabile ab amore, illicoquè omnis amatus redamet, nisi par utrinque sit, ut honestatis, ita utilitatis & voluptatis sive jucunditatis studium. Sed nec efficacem semper, putà, in amicis habitu talibus, non actu. Ut enim duûm generum dantur boni, vel καθ' ἕξιν, quales, qui virtutis habitu sunt prædìti, sed non operantur secundum illum habitum, vel κατ' ἐνέργειαν, quales ii, in quibus habitus est efficax & officiosus: Eundem ad modum duplices dantur amici, vel καθ' ἕξιν, quales, qui disjuncti locorum intervallis simul vivere nequeunt, amicitiæqué officia præstare, parati interim ad ea præstanda, vel κατ' ἐνέργειαν, quales, qui actu & reâpse sive reipsâ tales. Quin nec apertam semper, eò quod nemo recessus & latebras alterius animi scire queat, an verè amet? Non scire autem? Immò scire, saltem conjecturaliter, sive opinione in experientiâ fundatâ, quæ sæpè fallax non est. Objiciunt decimò, objectum veræ amicitiæ esse honestum, ergò non utile & jucundum, ut quæ secundum rationem suam formalem differant. Quid enim honestum, nisi quod rationi consentit? Quid utile, nisi quod alterius

causâ

causâ expetitur, quid jucundum, nisi quod allubescit? Quasi verò honestum non materialiter includat utile & jucundum, sicut corpus lineam & superficiem, licet ab iis formaliter differat. Et quid impediat quæsò, quò minùs omne honestum quoque sit utile & jucundum, quæ à virtute abesse nequeunt, non contrà omne utile & jucundum honestum, ut quæ à virtute abesse queant in subjecto vitioso. Objiciunt undecimò contra divisionem amicitiæ in honestam utilem & jucundam, eam non esse divisionem generis in veras species, eò quòd membra ejus non sint opposita, cùm amicitia honesta coincludat utilem & jucundam? Sed materialiter scilicet, non formaliter. Objiciunt duodecimò, contra amicitiam æquiparantiæ, qualis eorum, qui conditione vitæ, dignitatis, aliisquê τῶν φιλητῶν generibus, sunt pares, ut Scipio & Lælius, Cicero & Atticus, æqualibus personis, æquali amore, æquali officiorum communicatione, æquali virtute, talem amicitiam non dari, ob aliqualem saltem aliquam dissimilitudinem morum, & fortunarum diversitatem. Respondeo sufficere, ut, quæ maximè faciunt ad rem, sint paria proportione arithmeticâ, à quibus, tanquam à potiori, fit denominatio. Objiciunt decimotertiò contra

ami-

amicitiam disquiparantiæ, qualis personarum inæqualium, cum alter amicorum alterum multùm antecellit virtute, dignitate, potentiâ, autoritate, conditione, vitâ, ætate, & si qua sunt alia φιλητὰ gradibus differentia, v g, divitiæ, nobilitas, doctrina, in ordine ad pauperem, ignobilem, indoctum, nec talem amicitiam dari, quia in verâ amicitiâ debeat esse æqualitas, quæ hîc nulla sit? Immò aliqua. Ut enim inter tales amicos non detur æqualitas arithmetica, datur tamen geometrica, ut non detur æqualitas in existentiâ, datur tamen in essentiâ, ut non in gradu virtutis, tamen in habitu. Potest quippè inter eos, qui his sunt inæquales, aliqua esse, si non paritas, saltem similitudo: Atqui non tantùm pares cum paribus congregantur, sed etiam similes cum similibus, similes autem sunt, etiam qui ita inæquales sunt, nominatim virtute, cùm virtutis & honestatis utrique sint studiosi, conspirentquè in objecto, nempè amabili honesto, in medio, nempè delectabili vitæ consortio, in fine, nempè fideli vitæ officio. Ad hoc exemplum liberalem cum magnifico, mediocriter studiosum cum insigniter excellenti viro, indoctum cum docto, ignobilem cum nobili, pauperem cum divite, officium

amici

amici exercere videas, eò quòd inter eos non sit dissimilitudo moris, verùm amplitudo tantùm gradus, neque distractio animorum, sed in studio virtutis ardens quædam æmulatio. Objiciunt decimoquartò contra amicitiam naturalem paternam & conjugalem: Contra Paternam, parentes magis amare liberos, quàm hi illos, ergò inter eos non dari exactam amicitiam, ob proportionis defectum! Immò verò exactam, haud quidem respectu rei, quomodo liberi magis tenentur diligere parentes, ex obligatione, quà naturali, quà morali, quà civili, cùm à parentibus vitam victum & cultum ingenii acceperint, ut qui sint causa essendi nutriendi sciendi, essentiam, inquam, & existentiam, at benè respectu rationis, non respicientis solùm obligationem, quâ tenentur liberi amare parentes, sed etiam naturam amoris, quæ in parentibus prævalet testimonio experientiæ. Quòd si quandoque pater abdicat filium, (nam hoc fortè dicat aliquis,) facit id non naturaliter, sed moraliter, siquidem sit ingratus, contumax ad omne facinus, atque in omnem vitę licentiam præceps, quali filio pater moraliter non obligatur, tanquam degeneri, utut huic obligetur naturaliter. Contra Conjugalem, idem esse officium uxoris


in maritum, quod liberorum in parentes, ergò has amicitias non differre specie! Immò verò differre, eò quòd non idem utriusque sit officium aut objectum formale. Quamvis enim amor sit objectum tam hujus quàm illius, illius quàm hujus, tamen amor filialis est alius formaliter ab amore uxorio, quemadmodum amor pecuniæ alius ab amore honoris. Objiciunt decimoquintò contra amicitam civilem, ridiculam videri istam tot specierum & graduum enumerationem, eò quòd vel sexcenta amicitiæ genera inde oriri queant, non absque confusione? Itané, etiamné, si primarii amicitiæ gradus enumerentur, quò hoc rectiùs vitam, secundum normam amicitiæ, in omni societate instituere valeamus? Credat Judæus apella, non ego. Sed & illud movent contra eandem, æqualitatem & proportionem requiri inter veros amicos, eam autem inter imperantes & parentes esse nullam, ergò nec amicitiam? Nullam arithmeticè, & quoad proportionem externam, ratione putà dignitatis, autoritatis, & rerum externarum, aliquam geometricè, & quoad proportionem internam, ratione putà virtutis ac morum: Nullam ratione personarum, quæ inæquales, aliquam ratione materiæ, sive rei amabilis.

lis. Amicitia quippè, ut justitia commutans, non personas & dignitatem, sed rem subjectam & virtutem, respicit. Objiciunt decimosextò & postremò contra amorem activum & passivum, sive τὸ amare & amari, quorum illud melius hoc in comparatione, majus bonum evenire alicui, si ametur v g à rege, quàm si amet, ergò melius esse amari quàm amare! Melius autem? Immò utilius, non quoad bona animi & corporis tamen, verùm fortunæ. Ubi concludenter notandum, & illud in epilogo hujus operis, utut τὸ redamare inseparabile sit ab amore amicitiæ in amicitiâ honestâ, tamen non item, saltem non æquè, inseparabile esse in amicitiâ utili & jucundâ, nisi par sit in amante & amato utilitatis & jucunditatis studium tamen. Quod enim attinet amicitiam utilem & jucundam, testis experientia, amari multos, neque tamen redamare, eò quòd eædem amoris causæ in multis non sint, quomodo sæpè pauper divitem amat, quem tamen dives non redamat, sed odit, senex deformis juvenculam formosam, quem illa tamen non redamat, avarus liberalem, quem hic non item, ob humorum & morum dissimilitudinem. Sed hîc amicè finio, lector amice, teque salvere ac benè rem gerere jubeo.

FINIS LIBRI II.

QUod attinet Errata Typothetica, illa tam pauca ſunt & levia, ut induſtrius lector ea abs ſe domi ab errore liberare, mequè ab hoc onere abſolvere poſſit.




B